AN. LXXVI SERIES VII FASC. 1. AN. 1951

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Atheneo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

—

1951
Sorae, 25 - III - 1951.

† Michaël Fontevecchia
Ep. Soran., Aquinaten. et Pontiscurvi.

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Acta Pii PP. XII.

Adhortatio Apostolica: *Menti Nostrae* de sacerdotalis vitae sanctitate promovenda. (De tribus ad clerum pontificiis adhortationibus. MARCHETTI, O., S. J.) . . . . . Pag. 7

Constitutio Apostolica: *Per Annum Sacrum:* universale jubilaeum... ad catholicum orbem extenditur. . . . . » 53

Constitutio Apostolica: *Sponsa Christi,* de sacro monialium instituto promovendo. . . . . » 62

Epistula de instituendo die pro Sancta Infantia. (PAVENTI, X.) . » 83

S. S. C. S. Officii.

Decretum de « Rotary Club ». . . . . » 86

S. C. Consistorialis.

Declaratio de poenis contra persecutores Ecclesiae in Republica Cecoslovacha. (***). . . . . » 87

S. C. De Religiosis.

Instructio ad Constitutionem *Sponsa Christi* in praxim deducendam. » 91

S. C. Rituum.

Decretum de solemni Vigilia Paschali instauranda. . . . . » 100

S. Paenitentiaria Apostolica.

Instructio... de jubilari anno, qui ad universum catholicum orbem extenditur. (DE ANGELIS, S.) . . . . . » 102

JURISPRUDENTIA TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

S. Romana Rota.

Coram D. Staffa, Ponente. Romana (Null. Matr.). De bono prolis. . » 115

ACTA PII PP. XII

ADHORTATIO APOSTOLICA

AD CLERUM UNIVERSUM PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTEM: DE SACERDOTALIS VITAE SANCTITATE PROMOVENDA.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

INTRODUCTIO:

Vox Divini Redemptoris et Principis Apostolorum. Praecipua cura Summi Pontificis pro sacerdotibus et gratus animus erga eos.

1. Menti Nostrae vox resonat Divini Redemptoris Petro dicentis: « Simon Ioannis, diligis me plus his?... pasce agnos meos, pasce oves meas »; [1] itemque illa, qua idem Apostolorum Princeps Episcopos ac sacerdotes aetatis suae hisce verbis adhortabatur: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, ... forma facti gregis ex animo ». [2]

2. Quae verba attento animo considerantes, praecipuas esse supremi ministerii Nostri partes putamus id efficere pro viribus, ut sacrorum Pastorum ac sacerdotum opera, quae christianum populum ad vitanda mala, ad superanda discrimina et ad sanctimoniam assequendam conducat oportet, efficacior cotidie fiat; quod quidem nostris praesertim temporibus necessarium est, dum adhuc gentes ac populi ob recens, immane bellum non modo gravibus difficultatibus vexantur, sed animorum etiam perturbatione acerrime afficiuntur; et dum catholici nominis hostes ob rerum adiuncta, in quibus civilis societas versatur, audaciores facti, homines a Deo et a Iesu Christo arcere exitiali odio obtectisque insidiis enituntur.

3. Christianae instaurationis necessitas, quam hodie boni omnes cernunt, Nos iubet mentem voluntatemque Nostram ad totius orbis sacerdotes potissimum convertere, quandoquidem novimus humilem, vigilem studiosamque eorum operositatem,

[1] Cf. IOANN., XXI, 15 et 17.
[2] *I Petr.*, V. 2 et 3.

qui, in media plebe cum vivant, eius aegritudines, poenas ac corporis animique angustias perspectas habent, posse evangelicis praeceptis omnium renovare mores, ac Iesu Christi « Regnum iustitiae, amoris et pacis » [3] firmissime in terris constabilire.

4. Verumtamen haud possibile est sacerdotale munus plenos nancisci effectus, qui aetatis huius nostrae necessitatibus omnino respondeant, nisi sacerdotes circumstanti populo insignis sanctitatis fulgore praeluceant; sintque digni « ministri Christi », fideles « dispensatores mysteriorum Dei », [4] efficaces « Dei adiutores », [5] ad omnes opus bonum instructi. [6]

5. Iamvero nullo Nos posse aptiore modo putamus universo clero gratam profiteri voluntatem Nostram — qui quidem quinquagesimo exeunte sacerdotii Nostri anno, per admotas ad Deum preces suam erga Nos pietatem testatus est — quam si clericos omnes ad illam assequendam sanctitudinem paterno adhortemur animo, sine qua concreditum eisdem ministerium frugiferum esse non potest. Annus Sacer, quem ea spe indiximus, ut omnium mores evangelicis praeceptis redintegrarentur, hoc imprimis afferat optamus, ut nempe, qui christiani populi sunt duces, ad virtutis verticem alacriore gradu contendant, atque ita animati, ita instructi, sibi creditum gregem Iesu Christi spiritu renovent.

6. Quodsi adauctae hodie christianae societatis necessitates internae perfectionis formam magis magisque a sacerdotibus postulant, animadvertentum tamen est eos, ex ipsius altissimi muneris natura divinitus accepti, sanctitatis officio teneri semper, ubique totisque viribus assequendae.

Sacerdotium, magnum Dei donum. Oportet illi fideliter respondere.

7. Quemadmodum Decessores Nostri peculiarique modo Pius X [7] et Pius XI [8] docuere, ac Nosmet ipsi in Encyclicis Litteris *Mystici Corporis* [9] et *Mediator Dei* [10] attigimus, sacerdotium utique magnum est donum Divini Redemptoris; qui quidem ut humani generis redemptionis opera, quam ipse e Cruce pen-

---

[3] Praef. Miss. in festo Iesu Christi Regis.
[4] Cf. *I Cor.*, IV, 1.
[5] Cr. *I Cor.*, III, 9.
[6] Cf. *II Tim.*, III, 17.
[7] Exhortatio *Haerent animo; Acta Pii X*, vol. IV, p. 237 sq.
[8] Litt Enc. *Ad catholici sacerdotii*, *A. A. S.*, XXVIII, 1936, p. 5 sq.
[9] *A. A. S.*, XXXV, 1943, p. 193 sq.
[10] *A. A. S.*, XXXIX, 1947, p. 521 sq.

dens consummavit, ad saeculorum usque occasum perpetuaretur, potestatem suam Ecclesiae commisit, quam unici aeternique sacerdotii sui participem esse voluit. Sacerdos veluti « alter Christus » est, cum indelebili sit charactere insignitus, quo viva Servatoris nostri quasi imago efficitur; sacerdos Iesu Christi partes agit, qui dixit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos »;[11] « qui vos audit, me audit ».[12] Caelesti quodam instinctu eiusmodi ministerio augustissimo initiatus, « pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ».[13] Ad eum igitur accedat oportet quisquis Divini Redemptoris vitam vivere, atque vim, solacium animique alimentum accipere cupit; itemque ab eo opportuna remedia quaerat, quisquis a collapsis moribus ad frugem bonam reverti nititur. Itaque sacri omnes administri iure meritoque Apostoli gentium sententiam sibi tribuere queunt: « Dei.. sumus adiutores ».[14]

8. Excelsa haec dignitas a sacerdotibus postulat ut gravissimo officio suo fidelitate summa respondeant. Cum divinae in terris provehendae gloriae ac mystico fovendo augendoque Christi Corpori inservire debeant, oportet omnino ita sanctitudinis fulgore praestent, ut per eos « Christi bonus odor »[15] usquequaque propagetur.

9. Eo ipso die, quo vos, dilecti filii, ad sacerdotale fuistis evecti munus, Episcopus sollemniter Deique nomine praecipuum a vobis exsequendum officium hisce verbis indicavit: « Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis; quatenus mortis dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi; ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, id est familiam Dei ».[16]

10. A peccatis omnino immunis, vita vestra, magis quam ea, quam christiani e laicorum ordine ducunt, abscondita sit cum

---

[11] Ioann., XX, 21.
[12] Luc., X, 16.
[13] *Hebr.*, V. 1.
[14] *I Cor.*, III, 9.
[15] *II Cor.*, II, 15.
[16] *Pontificale Rom.*, De ord. presbyt.
[17] Cf. *Col.*, III, 3.

Christo in Deo; [17] atque ita eximia illa virtute exornati, quam vestra exigit dignitas, humanae redemptionis opus perficiendum pergite, ad quod quidem sacerdotalis consecratio vos destinavit.

11. Hoc propositum est, quod vos ultro libenterque exsequendum suscepistis; sancti estote, quia, ut nostis, sacrum est ministerium vestrum.

I

Sanctitas vitae sacerdotalis.

Perfectio consistit in fervore caritatis, qui sacerdotem addecet.

Imitatio Christi.

12. Ex Divini Magistri sententia, [18] christianae vitae perfectio caritate erga Deum, erga proximos potissimum innititur, quae tamen flagrans, studiosa, operosa sit. Ea enim, si ita conformatur, omnes quodammodo amplectitur virtutes; [19] atque adeo iure meritoque « vinculum perfectionis » [20] dici potest. In quibusvis igitur rerum condicionibus versetur homo, opus est prorsus ut mentem suam suosque actus ad hoc propositum dirigat.

13. Ad id tamen peculiari officio adstringitur sacerdos. Quaevis enim eius sacerdotalis actio suapte natura — quatenus nempe sacrorum administer hac de causa divinitus vocatus est, ac divino munere divinoque charismate insignitus — ut ad hoc contendat necesse est; ipse enim Iesu Christo, unico aeternoque sacerdoti, sociam operam navare debet; eumque sequatur, imitetur oportet, qui, cum terrenam vitam ageret, nihil potius habuit, quam incensissimum suum erga Patrem amorem testaretur suique Cordis infinitos thesauros hominibus impertiret.

Coniunctio intima cum Christo, uti summo Exemplari. Initium christianae perfectionis est humilitas, quae ducit ad voluntatis immolationem per oboedientiam.

14. Praecipuus, quo sacerdotis animus moveri debet, impulsus eo contendat, ut cum Divino Redemptore arctissime coniungatur, ut christianae doctrinae praecepta integerrime docilique voluntate amplectatur, utque eadem quovis suae vitae tempore tam impense ad effectum deducat, ut suae agendi rationi catholica fides praeluceat, eiusdemque fidei splendorem sua agendi ratio quodammodo reverberet.

15. Huius virtutis fulgore ductus, continenter suos oculos ad Christum convertat; eius praescripta, actiones, exempla studiosissime sequatur; sibique omnino persuasum habeat non satis esse eis se officiis, quibus christifideles tenentur, obtemperare,

---

[18] Cf. Matth., XXII, 37, 38, 39.
[19] Cf. *I Cor.*, XIII, 4, 5, 6, 7.
[20] *Col.*, III, 14.

sed oportere etiam citatiore cotidie gradu ad illam contendere, quam excelsa sacerdotalis dignitas postulat, vitae perfectionem, secundum illud: « Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere, eisque virtute et recte factis in exemplum excellere »[21].

16. Sacerdotalis vita, ut a Christo oritur, ita nullo non tempore ad eum omnino dirigatur necesse est. Christus autem Dei Verbum est, qui humanam naturam non est dedignatus assumere; qui hanc terrestrem vitam egit ut Aeterni Patris obtemperaret voluntati; qui se circum lilii suavitatem effudit; qui in paupertate vixit; « qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes »;[22] qui denique se hostiam pro fratrum salute obtulit. Habetis, dilecti filii, mirabilis huius vitae summam veluti ante oculos positam; eam in vos referre omni nisu studeatis, incitamenti illius memores: « Exemplum... dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis ».[23]

17. Christianae autem perfectionis initium ex humilitatis virtute oritur. « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde ».[24] Nos siquidem probe considerantes ad quam celsissimam dignitatem per Baptisma et sacrum Ordinem vocati fuimus, ac spiritualem nostram noscentes inopiam, divinam illam meditemur sententiam Iesu Christi asseverantis: « Sine me nihil potestis facere ».[25]

18. Sacerdos non suis viribus confidat, non suis dotibus immodice delectetur, non hominum aestimationem laudationesque captet, non amplioribus muneribus cupide inhiet, sed Christum imitetur, qui « non venit ministrari, sed ministrare »,[26] ac semet ipsum ad Evangelii normam abneget,[27] terrenisque rebus nimis ne adhaereat, ut facilius atque expeditius divinum sequatur Magistrum. Quidquid habet, quidquid est, ex Dei bonitate virtuteque defluit; si igitur gloriari velit, Apostoli gentium verba meminerit: « Pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis ».[28]

---

[21] *C. I. C.*, can. 124.
[22] *Act. Ap.*, X, 38.
[23] Ioann., XIII, 15.
[24] Matth., XI, 29.
[25] Ioann., XV, 5.
[26] Matth., XX, 28.
[27] Cf. Matth., XVI, 24.
[28] *II Cor.*, XII, 5.

19. Illius humilitatis studium, quae fidei luce collustretur, hominem ad quamdam voluntatis immolationem per debitam oboedientiam compellit. Christus ipse in societate ab se condita legitimam constituit auctoritatem, quae suam in aevum perpetuaret; quamobrem qui Ecclesiae obtemperat moderatoribus, Divino ipsi Redemptori obtemperat.

20. Aetate hac nostra cum auctoritatis fundamentum temerario ausu concutiatur, opus omnino est ut sacerdos, fidei praecepta firma retinens mente, hanc eamdem auctoritatem agnoscat riteque observet, veluti necessarium non modo religiosarum ac socialium rerum tutamentum, sed suae etiam ipsius procurandae sanctitatis principium. Dum divini nominis osores nefaria quadam calliditate immodicas nonnullorum cupidines incitare ac pellicere idcirco enituntur, ut adversus Sanctae Matris Ecclesiae iussa eos erigant, debitis Nos cupimus exornare laudibus paternoque confirmare animo frequentissimum illorum sacrorum administrorum agmen, qui quidem, ut christianam suam oboedientiam luculenter profiterentur, utque integerrimam suam fidelitatem erga Christum ab eoque constitutam auctoritatem servarent incolumem, « digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati » [29] ac non solum contumelias, sed insectationes, sed carcerem atque etiam mortem.

Custodia caelibatus per vigilantiam et orationem, devitando familiaritatem.

21. In earum rerum ordine operatur sacerdos, quae ad supernam vitam pertinent, cum eiusdem supernae vitae incrementa provehat, eamque cum mystico Iesu Christi Corpore communicet. Quamobrem negotiis illis vale dicat oportet « quae sunt mundi », ut ea solummodo curet, « quae Domini sunt ». [30] Cum igitur a saeculi sollicitudinibus liber esse debeat, seseque totum divino servitio mancipare, caelibatus legem Ecclesia constituit, quo magis etiam magisque manifestum omnibus pateat eum esse Dei administrum animorumque patrem. Qua quidem caelibatus lege potius quam paterni muneris officium omnino amittat sacerdos, in immensum revera adauget, quandoquidem non terrenae huic ac caducae vitae subolem parit, sed caelesti perpetuoque mansurae.

22. Quo splendidius autem sacerdotalis castimonia refulget, eo magis sacrorum administer fit una cum Christo « hostia pura, hostia sancta, hostia immaculata ». [31]

---

[29] *Acta Ap.*, V, 41.
[30] *1 Cor.*, VII, 32, 33.
[31] *Missale Rom.*, can.

23. Quam quidem castimoniam ut integerrimam, quasi inaestimabilis pretii thesaurum, omni cura servemus, opportunum ac necessarium est illi Apostolorum Principis adhortationi religiose obsequi, quam cotidie in horariis precibus repetimus: « Sobrii » estote, et vigilate ».[32]

24. Advigilate utique, dilecti filii, quandoquidem castitati vestrae tot pericula occurrunt, tum ob mores publice pessumdatos, tum ob vitiorum illecebras, quae vobis hodie tam facile insidiantur, tum denique ob nimiam illam necessitudinum libertatem, qua utriusque sexus cives utuntur, et quae interdum in sacri etiam ministerii exercitium irrepere audet. « Vigilate, et orate »,[33] semper memores manus vestras res sanctissimas tangere; itemque memores vos esse consecratos Deo, eidemque debere unice servire. Vestis ipsa, quam geritis, quodammodo vos admonet ut non mundo, sed Deo vivatis. Omni igitur nisu omnique alacritate efficite, maternae confisi Deiparae Virginis tutelae, ut « nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei »[34] cotidie sitis.

25. Quam ad rem opportunum ducimus peculiari modo vos adhortari ut in mulierum consociationibus ac sodaliciis moderandis tales vos exhibeatis, quales sacerdotes addecet; familiaritatem omnem devitate; ac quotiescumque opera vestra necessaria est, eam utpote sacri administri impertite. Atque in iisdem consociationibus dirigendis navitatem vestram iis contineatis limitibus, quos sacerdotale ministerium vestrum postulat.

Sacerdos, a divitiis terrenisque rebus abalienus, omnibus virtutibus ornatus sit.

26. Nec satis habeatis per castimoniam voluptatibus carnis renuntiare ac per oboedientiam moderatoribus vestris voluntatem sponte subicere, sed animum quoque a divitiis terrenisque rebus cotidie magis abalienatum gerite. Etiam atque etiam vos adhortamur, dilecti filii, ut res fluxas ac perituras huius mundi ne nimis diligatis; sanctissimos veteris nostraeque aetatis viros venerabundi in exemplum intuemini, qui quidem, debitam externorum bonorum abstinentiam summamque Providentis Numinis fiduciam cum flagrantissimo sacerdotali studio coniungentes, miranda prorsus opera patrarunt Deo unice confisi, qui necessaria numquam auxilia denegat. Sacrorum etiam ad-

---

[32] *I Petr.*, V, 8.
[33] Marc., XIV, 38.
[34] *Pontificale Rom.*, In ordin. Diacon.

ministri, qui paupertatis officio ob peculiare nuncupatum votum non obligantur, huius paupertatis amore ducantur oportet; quem quidem amorem simplicis ac moderatae vitae ratio demonstret, habitatio non sumptuosa declaret, ac denique generosa erga egenos largitas confirmet. Potissimum vero se abstineant ab oeconomicis illis inceptis, quae eos a sacris obeundis muneribus abstrahant, debitamque sibi imminuere possint christifidelium aestimationem. Sacerdos siquidem, cum in animorum salutem procurandam omni ope incumbat necesse sit, illam sibi Apostoli Pauli sententiam tribuere debet: « Non... quaero quae vestra sunt, sed vos ».[35]

27. Si heic opportunitas haberetur de virtutibus omnibus enucleate agendi, quibus sacerdos divinum Iesu Christi exemplar aptiore, quo potest, modo in se referat opus est, multa profecto, quae menti Nostrae occurrunt, pertractaremus; voluimus tamen ea solummodo peculiari modo menti vestrae inculcare, quae nostris hisce temporibus potiore ratione necessaria viderentur; ad ceteras autem quod attinet, hanc satis esto aurei libelli de imitatione Christi recordari sententiam: « Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus; et aliis bonae vitae exemplum praebere. Eius conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in caelo, aut cum perfectis viris in terra ».[36]

Necessitas gratiae supernae ad imitationem Christi persequendam.

28. Nemo est qui ignoret, dilecti filii, singulis christianis peculiarique modo sacerdotibus possibile non esse miranda Divini Magistri exempla in cotidianae vitae usu imitari, nisi supernae gratiae auxilio fruantur, iisque utantur eiusdem divinae gratiae instrumentis, quae ipsemet nobis dilargitus est. Idque eo magis evadit necessarium, quo excelsior perfectio est, quam nos attingere debemus, et quo graviores ex natura nostra, in malum prona, oriuntur difficultates. Qua quidem ratione ducti, opportunum putamus gradum facere ad alias, grandidatis ac solacii plenas, proponendas veritates, ex quibus vel luculentius patet quam elata esse debeat sacerdotalis sanctitas, et quam efficaces sint opes nobis a Iesu Christo datae, ut divinae misericordiae consilia ad effectum in nobis deducere possimus.

---

[35] *II Cor.*, XII, 14.

[36] *De imit. Christi*, IV, c. 5, v. 13, 14.

Vita sacerdotis imitari debet sacrificium Christi, Sacerdotis et Victimae in monte Calvariae et in Eucharistico Sacrificio, ex quo thesauro gratiae haurit ad sanctitatis verticem assequendum.

29. Quemadmodum omnis Servatoris nostri vita ad sui ipsius sacrificium ordinata fuit, ita pariter sacerdotis vita, qui Christi imaginem in se referre debet, cum eodem, in eodem per eumdemque gratum fiat sacrificium oportet.

30. Siquidem sacrificium, quod Divinus Redemptor e cruce pendens in Calvariae monte obtulit, non sui proprii corporis tantummodo immolatio fuit; ipse enim semet ipsum piacularem hostiam dedit utpote humani generis Caput; atque adeo « cum spiritum suum in manus Patris commendat, ut homo seipsum commendat Deo, ut omnes homines Deo commendet ».[37]

31. Idem profecto in Eucharistico sacrificio contingit, quod incruenta est crucis sacrificii renovatio: Christus enim semet ipsum Aeterno Patri offert pro sua gloria nostraque salute; quandoquidem autem ipse, sacerdos et hostia, ut Ecclesiae Caput agit, non modo semet ipsum, sed christianos universos et quodam modo omnes etiam homines offert et immolat.[38]

32. Iamvero si hoc pro christianis omnibus, maiore profecto titulo pro sacerdotibus valet, qui idcirco praesertim Divini Redemptoris ministri sunt, ut Eucharisticum sacrificium peragant. Quo quidem in Eucharistico sacrificio, dum personam Christi sustinentes, panem et vinum consecrant, quae Corpus et Sanguis Christi fiunt, inexhaustos ex ipso supernae vitae fonte haurire possunt salutis thesauros omniaque illa auxilia, quae sibi non modo necessaria sint, sed suo etiam ipsorum explendo muneri.

33. Sacrorum nempe administer, dum divinis hisce mysteriis arctissime coniungitur, facere non potest quin esuriat ac sitiat iustitiam,[39] seseque vehementer incitatum sentiat ad illi, qua ornatur, tam excelsae dignitati vitam aequandam suam, ad eamdemque se devovendi studio conformandam, cum semet ipsum debeat una cum Christo quodammodo immolare. Quamobrem Eucharisticum sacrificium non modo celebret, sed etiam intima quadam ratione vivat oportet; ita enim supernam vim illam haurire potest, qua fiat ut penitus transformetur, atque piacularem Divini ipsius Redemptoris vitam participet.

34. Ex Apostoli Pauli sententia, praecipuum christianae perfectionis principium hoc praecepto declaratur: « Induimini Do-

[37] S. Athanas., *De incarnatione*, n. 12: Migne, *P. G.*, XXVI, 1003 s.
[38] Cfr. S. Aug., *De civitate Dei*; l. X, c. 6: Migne, *P. L.*, XLI, 284.
[39] Cf. Matth., V, 6.

minum Iesum Christum ».[40] Hoc autem praeceptum, si ad christifideles omnes pertinet, at potiore quodam modo sacerdotes obstringit. Atqui Iesum Christum indui non modo significat ad eius doctrinam mentem dirigere suam, sed novam etiam vitam ingredi, quae quidem ut Thaboris splendoribus fulgeat, Redemptoris nostri debet imprimis, in Calvaria patientis, doloribus angoribusque conformari. Hoc profecto arduum adsiduumque laborem postulat, quo animus noster quasi victima efficiatur, ut cum Christi sacrificio intima ratione communicet. Hic arduus adsiduusque labor non inani voluntate ducitur, non desideriis ac votis concluditur, sed studiosa esse debet indefessaque actio, quae ad frugiferam animi renovationem contendat; sed pietatis sit oportet exercitatio, qua omnia ad Dei gloriam referantur; paenitentiae sit exercitium, quod immoderatos animi motus temperet ac refrenet; caritatis sit navitas, quae nos erga Deum, erga proximos amore inflammet, nosque ad omnia provehenda misericordiae opera permoveat; sit denique actuosae voluntatis alacritas, qua enitendo eluctandoque perfectissima quaeque attingamus.

35. Necesse est igitur ut, quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat: quemadmodum nempe Iesus Christus semet ipsum immolat, ita eius administer una cum illo se immolare debet; quemadmodum Iesus expiat peccata hominum, ita sacerdos per excelsum christianae asceseos iter ad propriam perveniat necesse est proximorumque purificationem. Ita enim eum S. Petrus Chrysologus admonet: « Esto Dei sacrificium et sacerdos; non amittas quod tibi divina dedit et concessit auctoritas. Induere sanctitatis stolam; praecingere balteum castitatis; sit in velamento capitis tui Christus; crux in frontis tui munimine perseveret; pectori tuo appone divinae scientiae sacramentum; in odorem thymiama semper orationis accende; arripe gladium Spiritus; altare cor tuum pone et sic corpus tuum admove Dei securus ad victimam... Offer fidem, ut perfidia sit punita; immola ieiunium, ut voracitas cesset; sacrifica castitatem, ut moriatur libido; impone pietatem, ut deponatur impietas; invita misericordiam, ut avaritia deleatur; et ut consumatur stultitia, semper sanctitatem convenit immo-

---

[40] *Rom.*, XIII. 14.

lare: sic fiet corpus tuum tua hostia, si nullo peccati iaculo fuerit sauciata ».[41]

36. Quae Nos christianis universis per Encyclicas Litteras *Mediator Dei* meditanda proposuimus, ea placet in praesens iisdem verbis peculiari modo sacerdotibus iterare: « Christus utique sacerdos est, sed nobis non sibi sacerdos, cum vota religionisque sensus totius humani generis nomine Aeterno Patri deferat; idem pariter victima est, sed nobis, cum semet ipsum in vicem hominis culpis obnoxii reponat. Iamvero illud Apostoli « hoc... sentite in vobis, quod et in Christo Iesu » a christianis omnibus postulat, ut eo modo animum in se referant affectum, quantum humana potest facultas, quo Divini Redemptoris animus affectus erat, cum sui ipsius faciebat sacrificium; humilem nempe referant mentis demissionem, summaeque Dei Maiestati adorationem adhibeant, honorem, laudem, gratiarum actionem. Postulat praeterea ab iisdem ut victimae condicionem quodammodo sumant ut semet ipsos ad Evangelii praecepta abnegent, ut paenitentiae ultro libenterque dent operam, utque admissa quisque sua detestentur et expient. Postulat denique ut omnes una cum Christo mysticam in Cruce mortem obeamus, ita quidem ut Pauli sententiam usurpare possimus: « Christo confixus sum Cruci ».[42]

37. Sacerdotes ac filii dilectissimi, magnum nos habemus in nostris manibus thesaurum ac pretiosissimam margaritam, hoc est inexhaustas Iesu Christi Sanguinis divitias; iisdem quam largissime utamur, ita quidem ut, per plenum nostri sacrificium Aeterno Patri una cum Christo oblatum, veraces efficiamur iustitiae conciliatores « in iis, quae sunt ad Deum »,[43] ac mereri possimus, ut preces nostrae benigne excipiantur, ac superfluentem gratiarum imbrem impetrent, quae Ecclesiam omnesque animos recréent atque fecundent. Tum solummodo, cum nempe veluti unum erimus cum Christo per suam nostramque immolationem, vocemque nostram cum caelestis Hierosolymae habitatorum choro conseremus secundum illud « illi canentes iungimur almae Sionis aemuli »,[44] tum solummodo,

---

[41] *Sermo CVIII:* Migne, *P. L.*, LII, 500, 501.
[42] *A. A. S.*, XXXIX, 1947, pp. 552, 553.
[43] *Hebr.*, V, 1.
[44] *Brev. Rom.*, Hymn. pro off. Dedic. Eccl.

Servatoris nostri virtute corroborati, e sanctitatis vertice, quem assecuti fuerimus, tute poterimus ac secure cunctis hominibus impertire per sacerdotale ministerium nostrum supernam Dei lucem supernamque vitam.

Necessitas orationis et exercitiorum pietatis:

38. Perfecta sanctitatis forma id etiam requirit ut cum Deo continenter communicemus; ut autem eiusmodi communicatio, quae sacerdotali animo cum Deo intercedat oportet, per subsequentes dies et horas ne intermittatur, Ecclesia sacros administros officio teneri iussit horarias preces recitandi. Ea hoc modo Divini Redemptoris praecepto fideliter obsecuta est dicentis: « Oportet semper orare et non deficere ». [45]

Recitatio divini Officii, uti vox Christi et Ecclesiae, medium efficax sanctificationis, si recta intentione una cum Christo atque diligenti meditatione absolvatur.

39. Siquidem, quemadmodum Ecclesia ab effundendis precibus nullo tempore cessat, ita percupit ut filii supplicationes numquam intermittant; iisdemque Apostoli Pauli adhortationem repetit: « Per ipsum [Iesum] offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius ». [46] Sacrorum autem administris hoc peculiare munus concredit, ut nempe, populi etiam nomine comprecando, omnis temporis rerumque decursum quodammodo Deo consecrent.

40. Huic officio obsequens sacerdos, illud vertentibus saeculis, agere pergit, quod Christus fecit, qui « in diebus carnis suae preces supplicationesque... cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia ». [47] Hae siquidem preces, cum adhibeantur Christi nomine, hoc est « per Dominum Nostrum Iesum Christum », qui, conciliator noster apud Patrem, suam eidem perpetuo offert satisfactionem, sua promerita validissimumque sui Sanguinis pretium, singulari procul dubio efficacitate pollent. Sunt enim peculiari ratione « vox Christi », qui « orat pro nobis ut sacerdos noster; orat in nobis, ut Caput nostrum ». [48] Parique modo sunt semper « vox Ecclesiae », quae vota ac desideria christifidelium omnium refert; qui quidem una cum sacerdotis precibus eiusque fide coniuncti, laudibus Iesum Christum prosequuntur, ac per ipsum Aeterno Patri grates agunt, ab eoque quovis die, quavis hora necessaria

---

[45] Luc., XVIII, 1.
[46] *Hebr.*, XIII, 15.
[47] Ibid., V, 7.
[48] S. Aug., *Enarr. in Ps. LXXXV*, n. 1: Migne, *P. L.*, XXXVII, 1081.

impetrant auxilia. Itaque quod Moyses quondam fecit, cum in montis vertice brachia ad caelum extollens cum Deo colloquebatur ab eoque pro populo suo, in subiecta valle aerumnis laborante, misericordiam efflagitabat, id per sacros administros quodam modo cotidie iteratur.

41. At horariae preces multum etiam multumque ad sanctitatem efficaciter assequendam conferunt; non enim agitur solummodo de formularum recitatione, vel de canticis, quae ex artis legibus rite pangantur; non agitur solummodo de peculiaribus observandis normis, quas rubricas vocant, vel de externis tantum divini cultus caerimoniis; sed potiore ratione agitur de ascensu mentis animique nostri ad Deum, ut cum beatis spiritibus, laudes eidem in aeternum concinentibus, copulemur.[49] Quamobrem horariae preces, ut in earum notatur initio, « digne, attente ac devote » recitandae sunt.

42. Opus est autem ut sacerdos has supplicationes fundat eadem illa mente, qua Divinus Redemptor precabatur. Est igitur quasi ipsa vox eius, quae per suum administrum a clementissimo Patre suo redemptionis beneficia implorat; est ipsa vox eius, cui Angelorum Sanctorumque agmina in Caelo, christianorumque multitudines in terra coniunguntur, ut debita Deo gloria referatur; Iesu Christi advocati nostri vox est, qua immensi suorum meritorum thesauri nobis impertiuntur.

43. Frugiferas illas veritates, quas Spiritus Sanctus per Sacrarum Litterarum sententias pandit, atque Patrum Doctorumque scripta commentantur, accurate diligenterque meditemini. Dum labia vestra divina verba repetunt quae afflatu superni Flaminis tradita fuere, nihil tanti thesauri amittatis; utque animus vester Dei voci fideliter resonet, ea omnia, quae mentem vestram avocent, adsidue studioseque dispellite; atque intentas cogitationes vestras colligite, ut faciliore ac fructuosiore ratione aeternarum rerum contemplationi vacetis.

44. In Encyclicis Litteris *Mediator Dei* copiose satis enucleavimus qua de causa Ecclesia per annuum liturgiae cursum in memoriam revocet aptoque ordine veluti ante oculos repraesentet omnia Iesu Christi mysteria, diesque etiam festos celebrari iubeat Mariae Virginis sanctorumque Caelitum. Haec doctrinae praecepta, quae christianis universis, utpote omnibus utilissi-

---

[49] Cf. Litt. Enc. *Mediator Dei: A. A. S.*, XXXIX, 1947, p. 574.

ma, impertivimus, addecet omnino vos, sacerdotes, peculiari modo recolere; vos dicimus, qui per Eucharisticum sacrificium Divinumque Officium, quod dicitur, in hoc eodem liturgiae cursu praecipuas partes agitis.

45. Ecclesia praeterea, ut nos ad sanctimoniam alacrius cotidie assequendam compellat, alia etiam pietatis exercitia, praeter Eucharisticum sacrificium et horarias preces, enixe nobis commendat. De quibus quidem placet aliquid heic attingere vestraeque considerationi proponere.

Pietatis exercitia fovenda: Meditatio sacra cotidiana, supplicatio vocalis, incensa erga Christi Matrem pietas, visitatio eucharistica, perscrutatio conscientiae, frequentia Paenitentiae Sacramenti, in spiritualibus consilium, Exercitia spiritualia.

46. Imprimisque ad sacram meditationem nos adhortatur, quae mentem ad superna transvehit, et ad coelestium rerum cogitationem advocat, itemque animum nostrum, Dei desiderio inflammatum, recta ratione ad eum dirigit. Haec sacra meditatio aptissime nos praeparat ad Eucharisticum celebrandum sacrificium et ad debitas post illud grates agendas Deo; ad suavem nos inducit liturgiae pulchritudinem percipiendam gustandamque; itemque ad aeternas veritates et ad miranda Evangelii exempla ac praecepta contemplanda nos permovet.
Iamvero haec Evangelii exempla Divinique Redemptoris virtutes prorsus necesse est ut sacrorum administri diligentissime in se referant.

47. Sed, quemadmodum corporis cibus vitam nostram non alit, non sustentat, non auget, nisi digestus ac confectus in nostram fuerit substantiam conversus, ita sacerdos, nisi meditando contemplandoque Divini Redemptoris mysteria — qui quidem summum atque absolutum perfectionis exemplar est ac sanctitudinis fons inexhaustus — eius vitam vivat, sui suorumque sensuum dominio potiri non potest, neque animum purificare suum, neque ad virtutem, ut oportet, contendere, nec denique sacra munera sua fideliter, actuose, frugifere obire.

48. Gravi igitur officio Nos teneri ducimus ad cotidianae meditationis usum vos peculiari modo cohortari; quem quidem usum Codex etiam Iuris Canonici clericis omnibus commendat.[50] Quemadmodum enim ex cotidiana eiusmodi meditatione sacerdotalis perfectionis studium alitur ac refovetur, ita ex eius neglegentia illud oritur spiritualium rerum taedium, quo pietas

[50] Cf. can. 125, 2°.

defervescit ac languet, et quo non tantum suus cuiusque ad sanctitatem impulsus vel intermittitur, vel retardatur, sed sacri etiam ministerii opera haud levia capiunt detrimenta. Quamobrem iure meritoque asseverandum est peculiarem sacrae meditationis efficacitatem nulla posse alia ratione haberi, atque adeo cotidianus eius usus nullo alio modo substitui posse.

49. A caelestium autem rerum commentatione contemplationeque supplicationes viva voce factae ne disiungantur; ceteraeque ne desint privatim precandi formae, quae apte, pro peculiari sua cuiusque condicione, ad fovendam animi cum Deo coniunctionem conferant. Illud tamen animadvertendum est: potius quam multiplicatas preces, pietatem valere ac verax et ardens supplicandi studium. Hoc enim ardens precandi studium hodie potissimum, si umquam alias, necessarium est, dum « naturalismus », qui dicitur, hominum mentes animosque incessit, et dum virtus periculis omne genus circumvenitur, quae quidem interdum sacrum etiam obeuntibus ministerium occurrunt. Quid enim melius efficere possit, ut ab hisce insidiis praecaveatis, quid aptius mentem vestram ad superna erigat, vosque cum Deo coniunctos vivere iubeat, quam constans ad eum admota oratio divinique supplicatio auxilii?

50. Cum autem sacerdotes peculiari titulo Mariae Virginis filii vocari queant, temperare sibi non poterunt quin eam incensissima pietate adament, fidenti eam animo invocent, validamque eius tutelam frequenter implorent. Cotidie igitur, quod Ecclesia ipsa commendat,[51] mariale rosarium recitare studeant; qua quidem recitatione etiam Divini Redemptoris mysteria meditanda nobis proponuntur, nosque « ad Iesum per Mariam » ducimur.

51. Praeterea sacrorum administer, antequam cotidianos suos concludat labores, ad Eucharistica tabernacula adeat ibique aliquantisper saltem commoretur, ut Iesum in suo caritatis sacramento adoret, ut tot hominum ingratitudinem expiet, ut magis in dies divino amore ferveat, ut denique nocturnae etiam requietis tempore, quod mortis silentium in mentem revocat, aliquo modo praesens in sacratissimo eius Corde permaneat.

52. Neque praetermittat suae conscientiae secreta cotidie perscrutari suique ipsius censuram gerere; quod procul dubio tan-

[51] Cfr. *C. I. C.*, can. 125, 2.

tum valet simul ad spiritualis vitae rationem per elapsi diei spatium inquirendam, simul ad illa removenda obstacula, quae virtutis incrementa vel retardent, vel praepediant, simul denique ad ea omnia alacrius persequenda, quae sacerdotalia munera magis frugifera efficiant, et ad caelestis Patris, ob tot misere acta, misericordiam implorandam.

53. Quae quidem misericordia et admissorum venia per Paenitentiae Sacramentum nobis peculiari modo conceditur, quod praecipuum est divinae bonitatis opus, quo infirmitas nostra roboratur. Numquam contingat, dilecti filii, ut salutaris huius reconciliationis administer hoc Sacramento se abstineat. Hac de re, ut nostis, hoc Ecclesia edicit: « Curent locorum Ordinarii, ut clerici omnes Paenitentiae Sacramento frequenter conscientiae maculas eluant ». [52] Quamvis enim Iesu Christi ministri, miseri tamen sumus; quomodo igitur possumus Dei aram ascendere ac sacra pertractare, nisi saepe nos expiare ac purificare studeamus? Hac enim ratione « recta sui ipsius cognitio augetur, christiana crescit humilitas, morum eradicatur pravitas, spirituali neglegentiae torpori obsistitur, conscientia purificatur, roboratur voluntas, salutaris animorum moderatio procuratur, atque ipsius sacramenti vi augetur gratia ». [53]

54. Quam ad rem opportunum etiam ducimus vos adhortari, dilecti filii, ut in spiritualis vitae itinere ingrediendo persequendoque ne nimis vobis confidatis, sed demisso docilique animo ab iis consilium suscipiatis petatisque auxilium, qui sapienti moderatione vos regere possint, qui adventantia pericula vobis praenuntiare queant, itemque consentanea vobis indicare remedia, et in difficultatibus omnibus ex internis externisve rebus oriundis, vos recta ratione ducere, vosque ad perfectionem illam, cotidie auctorem dirigere, ad quam sanctorum Caelitum exempla probatique christianae asceseos magistri vos alliciant et advocent. Etenim sine prudentibus hisce conscientiae moderatoribus, plerumque difficillimum est supernis Sancti Spiritus impulsionibus divinaeque gratiae recto modo obsecundare.

55. Cupimus demum Spiritualium omnibus commendare Exercitiorum usum. Cum enim nos per aliquot dierum spatium ex suetis rebus suetisque vivendi agendique rationibus segrega-

---

[52] *C. I. C.*, can. 125, 1°.

[53] Litt. Enc. *Mystici Corporis Christi: A. A. S.*, XXXV, 1943, p. 235.

mus, ac solitudinem silentiumque petimus, tum facilius profecto secundas damus aures divinis eloquiis, quae altius in animos descendunt nostros; dumque nos haec Exercitia ad officia sanctius exsequenda revocant et ad suavissima Iesu Christi mysteria contemplanda, voluntatem nostram ita confirmant, ut « serviamus illi in sanctitate et iustitia omnibus diebus nostris ».[54]

II

Sanctitas in sacro ministerio:

56. In Calvariae monte Divini Redemptoris fuit transverberatum latus, ex quo sacer eius cruor defluxit, qui veluti amnis per saeculorum cursum exundans, animos hominum eluit, eorum peccata expiat, eisdemque salutis thesauros impertit.

57. Ad hoc autem celsissimum obeundum ministerium sacerdotes destinantur. Ipsi enim non modo Iesu Christi vitam et gratiam mystici eius Corporis membris conciliant, cum iisdemque communicant, sed etiam ad eiusdem mystici Corporis fovendum incrementum conferunt, cum novos continenter debeant Ecclesiae filios donare, eosque educere, excolere, moderari. Cum « dispensatores mysteriorum Dei »[55] sint, perfecta caritate debent Iesu Christo famulari suasque vires omnes in fratrum salutem impendere. Cum lucis apostoli sint, Evangelii doctrina collustrare mundum debent, christianaque fide ita ipsimet intus vigere, ut eam cum ceteris participare possint, ac Divini Magistri exemplis et praeceptis insistentes, ad eum omnes reducere queant. Gratiae ac veniae apostoli sunt, atque adeo hominum procurandae saluti se omnino devoveant, eosque ad Dei aram advocent, ubi caelestis vitae pane enutriri possint. Caritatis apostoli sunt; huius igitur caritatis opera atque incepta urgeant, cum praesertim nostris hisce temporibus indigentium necessitates in immensum succreverint.

Sacerdos, dispensator mysteriorum Dei, apostolatum exercens, iuxta formas quibus hodie christifideles indigent et cum Christo coniunctus, caveat «actionis haeresim», aemulator sanctorum.

58. Curet praeterea sacerdos ut christifideles doctrinam de « Sanctorum Communione » recte intellegant, sentiant, experiantur; impenseque eam per instituta illa promoveant, quae ab « Apostolatu liturgico » et a « precationis Apostolatu » nuncupantur. Parique modo ceterae omnes apostolatus formae ratio-

[54] Luc., I, 74, 75.
[55] *I Cor.*, IV, 1.

nesque provehantur, quae hodie, ob peculiares christiani populi necessitates, tanti momenti sunt tantaeque gravitatis. In id nempe diligentissime contendatur, ut sacra catechesis omnibus impertiatur, ut « Actio Catholica » ac « Missionalium Actio » quam latissime propagentur et foveantur; itemque ut ea omnia per laicos viros apte instructos ac conformatos cotidie maiora incrementa capiant, quae ad rem socialem recte ordinandam pertineant, quemadmodum nostra postulat aetas.

59. Animadvertat tamen sacerdos gravissimum sibi creditum ministerium eo fructuosius fore, quo arctius ipse cum Christo coniunctus, eiusque spiritu ductus operetur. Tum enim sacerdotalis eius actio non in naturalem tantum operositatem desinet, quae corpus animumque fatiget, et quae sacrum administrum, haud mediocri cum sui ipsius Ecclesiaeque detrimento, ex recto possit itinere abstrahere; at eius labor eiusque constantes nisus divinae gratiae ope corroborabuntur, quam quidem si Deus superbis denegat, iis tamen, qui demisso animo in « vinea Domini » operantes, non se suaque quaerunt,[56] sed Dei gloriam hominumque salute, large libenterque concedit. Quamobrem Evangelii praeceptis obsecutus, ne sibi, ut iam diximus, suisque viribus confidat, sed superno potius auxilio, secundum illud: « Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat Deus ».[57]

60. Per apostolatum hac conformatum ratione id non evenire non potest, ut sacerdos nempe superna quadam vi omnium animos vehementer ad se alliciat. Cum enim in se in suosque mores vivam quasi referat Iesu Christi imaginem, omnes, qui eo magistro utantur, intima quadam suasione compulsi, facile agnoscent eum non sua, sed Dei verba loqui, itemque non sua, sed divina virtute operari: « Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus ».[58] Quin immo, dum ipse ad sanctitatem nititur, suumque munus summa perfectione exercet, tam studiose debet Iesu Christi partes personamque agere, ut verecunde queat Apostoli gentium iterare sententiam: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi ».[59]

---

[56] Cf. *1 Cor.*, *X*, 33.
[57] *I Cor.*, III, 7.
[58] *I Petr.*, IV, 11.
[59] *I Cor.*, IV, 16.

61. Hisce de causis, dum debitis eos honestamus laudibus, qui Dei amore proximorumque caritate ducti per hos annos, qui immane diuturnumque bellum subsecuti sunt, totis viribus in id incubuere ut, Episcopis praeeuntibus ac ducibus, tot rerum animorumque miserias relevarent, abstinere non possumus quin sollicitudinem anxitudinemque Nostram iis significemus, qui ob peculiaria rerum temporumque adiuncta in externarum actionum vorticem nimio saepius ita se ingurgitarunt, ut primum neglegerent sacerdotum officium, hoc est officium suae ipsius procurandae sanctitatis. Publice iam ediximus [60] ad rectius iter eos esse revocandos, qui temere autument salutem hominibus afferri posse per eam, quae « actionis haeresis » iure meritoque nominatur; per actionem dicimus, quae divinae gratiae ope non innitatur, neque ea constanter adhibeat necessaria assequendae sanctitudinis adiumenta quae a Iesu Christo fuere data. At pari modo opportunum duximus eos ad sacri ministerii opera impellere, qui animum ab externis rebus nimis abalienatum gerant, ac quasi superni auxilii potentia diffidentes, in id non satis contendant, pro facultate cuiusque sua, ut christiani spiritus virtus in vitae usum omnibus illis agendi rationibus inducatur, quas nostra tempora postulent. [61]

62. Vos igitur omnes enixe adhortamur ut arctissime cum Divino Redemptore coniuncti, cuius virtute omnia possums, [62] impensa sollicitudine adlaboretis, ut eorum pro viribus aeternam procuretis salutem, quos Providentissimus Deus apostolicis concredidit laboribus vestris. Quam vehementer cupimus, dilecti filii, ut sanctissimorum sitis illorum virorum aemulatores, qui elapsa aetate immensis exantlatis laboribus praeclare testati sunt quid possit in mundo operari divinae gratiae potentia. Utinam illam Apostoli gentium sententiam sibi unusquisque vestrum, christifidelibus testantibus, sincere demisseque tribuere possit: « Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris ». [63] Mentes superna luce collustrate; conscientias recto itinere dirigite; atque animos, vel dubitatione aestuantes, vel dolore excruciatos, confirmate ac reficite. Hisce autem praecipuis apostolatus operibus alia etiam adicite, quo-

[60] Cf. *A. A. S.*, XXXVI, 1944, p. 239; Epist. *Cum proxime exeat.*
[61] Cf. *Orat.* die XII mensis sept. a. MCMXXXXVII habitam.
[62] Cf. *Philipp.*, IV, 13.
[63] *II Cor.*, XII, 15.

rum necessitatem hodierna tempora clamant. Omnibus tamen manifestum pateat sacerdotem quavis sua agendi ratione nihil aliud quaerere, nisi animorum bonum, ad nihil aliud spectare, nisi ad Christum, cui suas vires ac semet ipsum consecrare debet.

Sacerdos, Christi exempla persequens per caritatem, cum temperata terrenarum rerum abstinentia et congrua doctrina, sacerdotale munus magis salutiferum reddat, uti fulget in vita Sanctorum ac praesertim S. Iosephi Cafasso.

63. Quemadmodum vero, cum vos ad vestram adipiscendam sanctimoniam admonuimus vos adhortati sumus ut vivam Christi imaginem in vestros mores referatis, ita in praesens ad sacerdotalis muneris vestri sanctitatem atque efficientiam procurandam provehendamque vos etiam atque etiam appellamus, ut Divini Redemptoris vestigiis continenter insistere studeatis; qui quidem, Spiritu Sancto plenus, « pertransit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo ». [64] Eodem vos Spiritu roborati, eiusque fortitudine impulsi, tale vos procul dubio expleturi eritis ministerium, quod, christiana alitum atque inflammatum caritate, et superna virtute polleat, et ad eamdem virtutem cum ceteris communicandam contendat.

Apostolicum studium vestrum divino illo amore flagret, quo omnia aequo animo toleretis, quo rebus non debilitemini adversis, et quo omnes amplectamini homines, tenuiores, vel rerum amplitudine praestantes, amicos, vel inimicos; fideles, vel infideles. Cotidianum eiusmodi laborem cotidianasque aegritudines a vobis poscit animorum salus, pro qua Servator noster dolores angoresque suos eo usque patientissime tulit, ut ad supremos cruciatus et ad mortem perveniret, quibus quidem nos voluit in divinam amicitiam restituere. Hoc unum, ut nostis, summum omnium bonorum est. Ne nimia igitur cupiditate exoptetis ut felix habeatur rerum successus; parique modo, si impense licet adlaborando, optatos tamen non poteritis consequi fructus, ne concidatis animo; etenim « alius est qui seminat, et alius est qui metit ». [65]

64. Hoc praeterea apostolicum studium vestrum summa benignitate niteat; quandoquidem, si necessarium omnino est errores refellere ac vitiis repugnare — ad quod quidem faciendum officio tenemur omnes — semper tamen sacerdotis animus mi-

---

[64] *Act. Ap.*, X, 38.
[65] Ioann., IV, 37.

seratione moveatur necesse est; oportet siquidem omni nisu profligare errores, sed errantes fratres adamare eosque impensa caritate revocare ad salutem. Quot bene facta, quot miranda opera viri sanctitudine ornati patrare potuere ob suam etiam animi benignitatem; idque in rerum quoque adiunctis hominumque classibus, ubi omnia fere fallaciis ac vitiis circumveniebantur! At procul dubio ille suo officio deesset, qui ut hominibus gratificaretur, pravis blandiretur eorum voluntatibus, vel minus rectis eorum cogitandi agendique rationibus non sine christianae doctrinae morumque probitatis discrimine obsecundaret. Cum tamen Evangelii praecepta sarta tectaque servantur, cum qui misere lapsi sunt, sincero desiderio moventur ad frugem redeundi bonam, tum illius sententiae reminiscatur sacerdos, quam Divinus Magister Apostolorum Principi tradidit, qui ab eo percontabatur quotiens fratribus venia concedenda foret: « Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies ». [66]

65. Vestra eiusmodi navitas non ad fluxa et caduca, sed ad aeterna potissimum spectare debet. Praecipuum hoc esto sacrorum administrorum propositum, qui ad sanctitatem, ut debent, contendere velint: pro divina tantum gloria animorumque salute laborare. Quot sacerdotes, in gravibus nostrorum temporum rerumque angustiis Apostoli gentium exempla ac monita prae oculis habuere, qui quidem parvo contentus et quae omnino necessaria essent solummodo quaerens asseverabat: « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus ». [67]

66. Ex hac temperata terrenarum rerum abstinentia, quae cum Divinae Providentiae fiducia coniungitur, et quae summae laudis praeconio digna Nobis videtur, sacerdotale ministerium uberes profecto in spiritualem et in socialem etiam Ecclesiae utilitatem edidit fructus.

67. Haec impensa denique operositas vestra sapientiae ac disciplinae luce collustretur, caritatis ardore foveatur. Qui reapse ad propriam proximorumque sanctimoniam nititur, solidam callere debet doctrinam, quae non modo ad tehologica studia quod attinet, sed ad ea etiam omnia, quae ex rebus pervestigandis excolendisque nostra peperit aetas, pertineat oportet;

---

[66] Matth., XVIII, 22.
[67] *I Tim.*, VI, 8.

atque hisce animi ornamentis praeditus sacrorum administer, sicut optimus pater familias proferre « de thesauro suo nova et vetera »[68] poterit, ita quidem ut ministerium suum et ab omnibus valde aestimetur, et frugiferum evadat. Imprimis autem ministerium hoc vestrum huius Apostolicae Sedis praescriptis ac datis ab Episcopis normis fideliter conformetur. Numquam eveniat, dilecti filii, ut novae illae apostolatus formae rationesque, quae hodie tam opportunae sunt, iis praesertim in regionibus, ubi clerus impar est numero, vel in inertia iaceant, vel, cum non sint recto ordine instructae, christiani populi necessitatibus non respondeant.

68. Operosum igitur eiusmodi studium vestrum cotidie magis augeatur, Ecclesiam Dei roboret, christifidelibus in exemplum praeluceat, atque ingentia propugnacula excitet, ad quae quidem Dei hostium incursus misere confringantur.

69. Cupimus etiam ut paterna haec adhortatio Nostra peculiari modo sacerdotes illos attingat, qui demisso quidem animo, sed incensa caritate, in ceterorum sacerdotum sanctitudinem procurandam augendamque sollerter incumbant, sive eorum consiliarios agant, sive eorum conscientiae moderatores vel Paenitentiae Sacramenti administros. Quod hi in Ecclesiae inaestimabile bonum conferunt, plerumque, dum vivunt, silentio obtegitur; at in divini Regni gloria aliquando luculentissime manifestabitur.

70. Nos quidem, qui non multos ante annos magno cum animi solacio summos decrevimus Sanctorum Caelitum honores Taurinensi sacerdoti Iosepho Cafasso — qui, ut nostis, temporibus difficillimis, sacrorum administris non paucis tam sapienter, tam sancte moderatus est, ut eorum non modo virtutem proveheret, sed eorum etiam sacerdotale munus salutiferum admodum redderet — fore omnino confidimus, ut ob eius etiam patrocinium validissimum Divinus Redemptor noster multos concedat paris sanctitatis sacerdotes, qui semet ipsos suosque in sacro ministerio collegas ad tam excelsam vitae perfectionem dirigant, ut christifideles omnes praeclara eorum intuentes exempla, ad ea ultro libenterque sequenda permoveantur.

---

[68] Cf. Matth., XIII, 52.

III

Normae ad hodiernae vitae usum :

71. Hucusque praecipuas veritates ac praecipua scribendo proposuimus praecepta, quibus Catholicae Ecclesiae sacerdotium eiusque explenda munera innituntur. Hisce profecto veritatibus ac normis qui sacerdotes sunt sanctitate exornati, ii procul dubio per cotidianam cuiusque suam agendi rationem, diligenter obsequuntur; dum contra, proh dolor, desertores ac transfugae a susceptis per sacram ordinationem officiis misere recesserunt.

72. In praesens vero, ut paterna haec adhortatio Nostra efficacior evadat, opportunum ducimus nonnulla, quae ad hodiernae vitae usum peculiari modo pertineant, satius enucleare. Idque eo vel magis quod nostra hac aetate novae interdum rerum condiciones habentur novaeque disceptationis causae, quae diligentiores a Nobis requirunt animadversiones diligentioresque curas. Cupimus igitur clerum universum, imprimisque sacrorum Antistites paterno adhortari animo ut ad ea omnia provehenda, quae nostris hisce temporibus necessaria videantur, toto pectore incumbant: quae autem recto itinere devia vel prorsus depravata habeantur, ea ad veritatem, ad probitatem, ad virtutem reducant.

73. Ut probe nostis, post diuturnas ac varias recentis belli vicissitudines, sacerdotum numerus cum in catholicorum regionibus, tum in missionalium terris, impar plerumque increscentibus necessitatibus est. Quamobrem sacerdotes universos adhortamur, sive qui in saeculo vivunt, sive qui in religiosos Ordines vel in religiosas Congregationes adsciti sunt, ut coniunctis voluntatibus coniunctisque fraterno animo viribus ad communem metam alacriter procedant, hoc est ad Ecclesiae bonum et ad suam proximorumque assequendam sanctitatem. Omnes utique, ii etiam qui umbratilem in recessu et in silentio vitam traducunt, ad sacerdotalis ministerii efficacitatem, precando seseque devovendo, conferre queunt; qui tamen actione etiam possunt, id libenter, id alacriter faciant.

74. At alios quoque necessarium est, divina adspirante gratia, advocare collegas ac laboris socios. Hac de re Nos sacrorum praesertim Antistites paterno admonemus animo, itemque ceteros omnes, qui christiani gregis quovis modo curam gerunt,

ut gravissimam huiusmodi causam agant ac provehant, cui quidem futurus Ecclesiae status coniungitur quam maxime. Societati a Christo conditae procul dubio necessarii sacerdotes numquam deerunt; vigilemus tamen oportet ac laboremus omnes, illius sententiae memores: « Messis quidem multa, operarii autem pauci » [69] ac omni nisu contendamus ut quam plurimi habeantur et quam sanctissimi Dei administri.

75. Divinus ipse Redemptor nobis indicat quo aptiore modo frequentes suscitari queant sacerdotii candidati: « Rogate... Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam ». [70] Humilibus nempe ac fidentibus ad Deum admotis precibus id impetrare debemus.

Recta selectio cleri.

76. At necesse quoque est ad invisibilem superni Flaminis impulsionem actionemque eorum praeparentur animi, qui ad ingrediendum sacerdotium divinitus vocentur; ad quod quidem efficiendum cum christiani parentes, sacri pastores, Paenitentiae Sacramenti administri ac Seminariorum moderatores multum profecto conferre possunt, tum universi etiam sacerdotes ac christifideles, quibus Ecclesiae incrementa provehere eiusque occurrere necessitatibus cordi sit. Dei administri non modo sacris concionibus ac catecheseos institutionibus ad populum habitis, sed privatis etiam opportune intersertis sermonibus, sedulo curent ut illae refellantur praeiudicatae ac fallaces opiniones, quae hodie adversus sacerdotium tam late proferuntur; atque etiam eius excelsam dignitatem, pulchritudinem, utilitatem et eximia promerita in sua luce ponant. Patres vero matresque familias cuiusvis ordinis impensas ad Caelum admoveant preces, ut digni habeantur qui unum saltem e prole sua divino servitio mancipare queant. Omnes denique, qui christiano censentur nomine, officio sibi ducant eos fovere omnique ope iuvare, qui se ad sacra vocatos sentiant.

77. Sacerdotii candidatorum instituere ac fovere dilectum quod Codex Iuris Canonici [71] animorum pastoribus concredit eisdemque valde commendat, omnibus etiam sacrorum administris peculiari curae esse debet; qui quidem, non modo aeterno Numini demisse generoseque grates agant ob inaestimabile acceptum beneficium, sed nihil antiquius, nihil optatius habeant,

[69] Luc., X, 2.
[70] Ibidem.
[71] Cf. can. 1353.

quam sibi aliquem deligere omnique ope iuvare successorem, quem illis perspexerint dotibus ornatum ad tantum opus necessariis. Utque id efficacius assequi possint, adulescentibus praesertim, quibus familiariter utantur, et in quibus divinae vocationis indicia animadverterint, optima exempla praebeant, quae imitentur.

Cura vocationum.

78. Prudens ac sapiens huiusmodi candidatorum dilectus semper et ubique instituatur; non igitur inter iuvenes habeatur solummodo, qui iam in Seminario vitam agant, sed inter eos etiam qui in quibusvis litterarum ludis ac scholis disciplinarum studiis dent operam, atque inter eos potissimum, qui in variis apostolatus formis atque inceptis adiutricem suam navitatem praestent. Hi siquidem, etsi sero sacerdotium ingrediuntur, cum tamen iam graves eluctati fuerint difficultates, et in agitatione vitae animum firmaverint suum, cumque iam in operibus elaboraverint, quae cum sacerdotali munere arcte coniunguntur, maioribus non raro enitent solidioribusque virtutibus.

79. Semper tamen necessarium est in singulos sacerdotii candidatos diligentissime introspicere, ac praesertim exquirere qua mente, quibus de causis eiusmodi inierint consilium. Ac peculiari modo, cum de pueris agitur, attente considerare oportet utrum necessariis animi corporisque dotibus iidem praediti sint, et utrum ad sacra suscipienda munera adspirent ob eorum tantum nobilitatem ac spiritualem suam ceterorumque utilitatem.

80. Vos profecto, Venerabiles Fratres, probe nostis quae sint mentis animique ornamenta, quibus, ad eiusmodi causam quod attinet, Ecclesia postulat ut sacrorum alumni praestent; supervacaneum igitur esse ducimus hisce exponendis rebus rationibusque immorari. Opportunum potius putamus vos adhortari, ut ea, qua enitetis, prudentia sedulo exquiratis, utrum, qui sacros suscipere ordines velint, physice etiam idonei sint; idque eo vel magis quod recens bellum succrescentem praesertim subolem funeste non raro affecit pluribusque modis perturbavit. Hi igitur candidati accurate hac de causa inspiciantur, adhibito etiam, si oportet, probati medici iudicio.

81. Hoc sapienti prudentique dilectu fore confidimus, ut ubique conferta habeantur lectissimaque sacrorum alumnorum agmina.

82. Quodsi plures sacri Pastores in gravi sunt sollicitudine, quod rariores cotidie adulescentes exsistant, qui sacerdotalia mu-

nera affectent, non minore tamen iidem sollicitudine afficiuntur de iuvenum institutione, qui in sacra iam fuerint Seminaria assumpti. Non nescimus profecto, Venerabiles Fratres, quam arduum id opus sit, quotque quantisque implicetur ad perficiendum difficultatibus; sed ex necessario hoc adhibito officio maximum reportabitis solacium, quandoquidem, ut Decessor Noster Leo XIII monet, « ex industria diligentiaque in instituendis sacerdotibus posita, fructus percipietis summopere optabiles, munusque vestrum episcopale multo sentietis esse ad gerendum facilius, ad utilitatem uberius ».[72]

83. Quamobrem a Nobis opportune factum censemus, si documenta vobis statuerimus, quae necessitate imperantur, hodie maiore quam cum maxima, sanctos educandi sacerdotes.

84. Animadvertendum primo loco est Seminariorum alumnos, qui primis disciplinis instituantur, nonnisi adulescentulos esse a nativo suae domus humo separatos. Res igitur ipsa postulat ut, quam pueri in Seminariis vitam ducant, cum communi omnium puerorum vita, quantum potest, congruat; magni tamen hinc eorum religiosa conformatione existimata, hinc naturalibus eorum facultatibus spectatis ingeniique propensionibus: quae omnia in spatiosis et capacibus locis excurrant oportet ad salubritatem et ad tranquillitatem idoneis. Attamen hac etiam in re « aeque mensura ac temperatio » serventur; ita quidem ut numquam eveniat ut « in sumptuosis domibus et in exquisitis suavitatibus et commodis »[73] ii vitam agant, qui ad sui abnegationem atque ad evangelicam virtutem conformari debeant.

85. In universum elaborandum praecipue est, ut singulorum puerorum indoles cuiusque propria recte conformetur; in iisque magis magisque se explicet conscientia quid ex actibus suis in se recidat periculi, quid ipsi de hominibus ac de eventibus iudicii ferant, quid denique ipsi operis ultro sponteque suscipiant. Quam ob causam ii qui sacris Seminariis praesunt modum prudenter animadversionibus imponent, ac crescentibus iuvenum annis ab strictiore eorum custodia vel cuiusvis generis refrenationibus sensim temperent; id prorsus consecuturi ut sibimet

---

[72] Litt. Enc. *Quod multum*, ad Episcopos Hungariae, die 22 mensis Augusti a. 1886: *Acta Leonis*, vol. VI, p. 158.

[73] Cf. Allocut. d. 25 Novembris a. 1948 habitam: *A. A. S.*, XL, 1948, p. 552.

ipsis adulescentes moderentur, seseque suorum esse operum auctores sentiant. In quibusdam praeterea rebus non modo licitam largiantur alumnis agendi libertatem, sed eos etiam ad secum cogitandum in animo insuescant, ut veritates, quae vel doctrinas vel quae usum spectent, faciliore negotio combibant. Neque extimescant moderatores ne concrediti sibi iuvenes hodiernos cognoscant eventus; quin etiam praeter quam quod illis rerum notitias aperient ex quibus maturum de factis iudicium iidem sibi faciant, controversias etiam de quaestionibus id genus ne declinent, ut iuvenum mentes ad aequam rerum rationumque aestimationem informent.

86. Quae si normae servatae religiose fuerint, cum alumni ad probitatem sinceritatemque instituti atque eruditi, suam non minus ac ceterorum vitae integritatem animique firmitatem summo in pretio habeant, a fallacia et a cuiusvis generis simulatione abhorrebunt. Ab eiusmodi integritate ac sinceritate facile proficiscetur, ut a moderatoribus efficientius iidem adiuvari possint, cum dignoscendum sit utrum divinitus ad sacra capessenda munia vocentur.

87. Ubi vero iuvenes — qui praesertim a teneris in sacra Seminaria fuerint recepti — in locis educentur ab hominum societate paulo nimium seiunctis, ii profecto, cum in publicum prodibunt, haud ex facili sive cum minuta plebe sive cum litteratis hominibus commercium habebunt, fietque eis plurimum, ut aut inconsiderate cum christiano populo se gerant, aut, quam acceperint institutionem, secus existiment. Opera idcirco danda est, ut alumni sensim prudenterque in intima populi consilia ac studia penetrent, ne, sacerdotio aliquando initiati sacrisque addicti muneribus, suae incerti sint actionis; quod non tantum ipsorum perturbaret animos, sed eorum etiam sacerdotales labores minueret.

Institutio intellectualis, litteralis et scientifica.

88. Ad haec qui sacris Seminariis praepositi sunt plurimas oportet curas locent in mente alumnorum excolenda.

Perspecta sane habetis, Venerabiles Fratres, normas atque praescripta, quae hac de re Apostolica haec Sedes identidem tulit, et quae Nosmet ipsi omnibus commendavimus, cum primum, sub Pontificatus Nostri initio, Seminariorum atque Collegiorum Romanorum alumnos coram admisimus.[74]

[74] Cf. Orationem diei 24 mensis Iunii 1939 habitam: *A. A. S.*, XXXI, 1939, pp. 245-251. —

89. Qua de re cupimus cumprimis ne litterarum doctrinarumque studiis ii qui futuri sint sacerdotes iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus paris sint disciplinae auditores. Hoc namque si cautum fuerit, et ut discipulorum mentes severius expoliantur, et ut facilius eorum habeatur suo cuiusque tempore dilectus cautum sane fuerit. Re enim vera si id contigerit, cum sacrorum alumnus de suae vitae futura condicione deliberaturus erit, nulla prorsus necessitate astringetur; aberitque plane a periculo ne, quod ea non ornetur eruditione atque doctrina, quae civilia sibi munera obicere possit, viam insistere sibi non paratam cogatur, secundum illam villici infidelis sententiam: « Fodere non valeo, mendicare erubesco ».[75]. Quodsi quis alumnorum, utilem licet Ecclesiae operam ostendens, e Seminario nihilo minus cederet, hoc non esset omnino dolendum; quandoquidem is, rectam viam ingressus, beneficiorum in Seminario acceptorum non recordari non posset, nec ad laicorum hominum catholicam alacritatem multum suae alacritatis non adicere.

90. In sacrorum institutione alumnorum, quamvis multarum cognitio disciplinarum perquiratur, in quibus hodie rerum socialium investigatio magni quidem est momenti, maxima tamen vis doctrinis philosophicis ac theologicis « ad Angelici Doctoris rationem »[76] tribuenda est, cum his necessitatum atque errorum, quae nostra invexerit aetas, notitia coniuncta. Huiusmodi enim doctrinae cum sacerdotibus ipsis, tum christiano populo maximi sunt ponderis et utilitatis: pietatis magistris asseverantibus eas, modo fuerint idonea ratione traditae, ad servandum alendumque fidei studium, ad cupiditates debilitandas, ad animum cum Summo Dei Numine coniungendum maxime valere.

Necessitas doctrinarum philosophicae et theologicae.

Accedit quod sacerdos, qui veluti « sal terrae » et « lux mundi »[77] est putandus, opus est, ut in fidei tuitione conatu maximo elaboret, Christi Evangelium promulgans, atque oppositos errores coarguens, qui omnibus viis hoc tempore seruntur in vulgus, Atqui erroribus valenter refragari nequibit, nisi quod firmissima philosophiae ac theologiae catholicae elementa penitus didicerit.

---

[75] Luc., XVI, 3.
[76] Cf. *C. I. C.*, can. 1366, 2.
[77] Cf. Matth., V, 13, 14.

91. A qua causa alienum non est animadvertere docendi rationem, quae in catholicis scholis iamdiu invaluit, plurimum habere efficacitatis simul ad perspicue rerum notiones mente concipiendas, simul ad hoc confirmandum: veritates nempe, quae ut sacrum depositum fuere Ecclesiae, christianorum magistrae, concreditae inter se perfecte congruere ac cohaerere. Non desunt vero hac nostra aetate qui, cum de recentioribus Ecclesiae documentis deflexerint, cumque minus notionum definitae perspicuitati studeant, praeterquam recta discesserint nostrarum scholarum via, erratis etiam ambiguisque opinionibus, ut est experiendo cognitum, introitum patefaciant.

92. Quare ne sacrorum administrorum studia fluctuationibus, vel dubitationibus miserum in modum haereant, maximopere vos, Venerabiles Fratres, hortamur omnes sedulo evigiletis, ut quas Apostolica haec Sedes de huiusmodi studiis colendis certas constituit normas, eae integra fide accipiantur atque serventur.

93. Si tam impense, pro Apostolico quo fungimur officio, de clericorum intellegentia praeclare excolenda adhuc admonuimus, haud difficile tamen cognitu est cur nihil sit Nobis potius quam ut eorumdem iuvenum animi moresque probe conformentur; quoniam si secus acciderit, vel exquisitissima doctrina, ob superbiam atque arrogantiam, quae facile descenderit in animos, maximas edere poterit ruinas. Quapropter Ecclesia Mater vult praesertim in sacris Seminariis adulescentes illius sanctimoniae initia inchoënt, quam deinceps in omni vita praestent atque confirment.

Institutio spiritualis et moralis.

94. Quemadmodum de sacerdotibus iam scripsimus, haud secus nunc instamus ut sacri ordinis alumnis persuasissimum sit debere se ad animi potiunda ornamenta, quae virtutes sunt, omni nisu contendere, eademque postquam assecuti fuerint, fortiter servare studioseque augere.

95. Cum cotidie, iisdem fere semper horis, eadem pietatis officia adulescentes exsequantur, timeri potest ne cum extrinseca religionis exercitatione intimus animi sensus non consonet; quod ferme ex consuetudine facilius fieri apud eos poterit vel etiam ingravescere, cum sacra iidem domicilia egressi, in necessariam suorum munerum perfunctionem saepenumero rapientur.

96. Omnis itaque opera atque industria impendatur, ut qui in clèri spem educantur, vitam pie sibi intentam vivant, quae superno spiritu alatur quaeque superno spiritu gubernante moveatur. Omnia iidem operentur divina fide collustrati atque cum Christo Iesu coniuncti; pro certo habentes ab sancto hoc vivendi genere abesse eos non posse, qui sint olim sacerdotio initiandi, Divinique ipsius Magistri personam in Ecclesia gesturi. Nihil enimvero magis sacrorum alumnos impellit ad virtutes sacerdote dignas consequendas, ad perrumpendas difficultates, ad salutaria consilia explenda, quam intimus hic pietatis sensus.

97. Qui clericorum moribus effingendis dant operam id summe spectent opus est, ut iidem virtutes eas complectantur, quas Ecclesia a sacerdotibus poscit. De quibus cum alio huius Exhortationis loco dixerimus, non est profecto cur eadem hic iteremus. Attamen facere non possumus quin ex omnibus virtutibus, quibus sacrorum alumni exornandi sunt, ad eas singulariter illos hic incitemus, quibus, veluti fundamentis, tota sacerdotum sanctitas nititur.

98. Pernecesse est iuvenes ita obedientiae studium assequantur, ut suam voluntatem assuescant Dei voluntati candide subicere, cuius sunt Seminarii moderatores veluti interpretes habendi. Ac nihil umquam sit in eorum agendi ratione, quod a divina sit voluntate alienum. Huius, de qua loquimur, obedientiae iuvenes a Divino Redemptore exemplum expetant, cui hisce in terris illud unum erat propositum: « Ut faciam, Deus, voluntatem tuam ».[78]

99. Qui adulescentes in Seminariis versantur iam a primis annis discant ex animo rectoribus suis filiorum more obsequi; ut aliquando Episcoporum suorum voluntati mansuete inserviant; sicut in praeceptis est invictissimi Christi athletae Ignatii Antiochensis: « Omnes Episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri ».[79] « Qui honorat Episcopum a Deo honoratus est; qui clam Episcopo aliquid agit, diabolo servit ».[80] « Sine Episcopo nihil facite, carnem vestram ut templum Dei custodite, unionem

---

[78] *Hebr.*, X, 7.
[79] *Ad Smyrnaeos*, VIII, 1; Migne, *P. G.*, VIII, 714.
[80] Ibid., IX, 1, 714, 715.

amate, dissidia fugite, imitatores estote Iesu Christi, sicut et ipse Patris sui ».[81]

100. Vigil quoque diligensque cura adhibenda est, ut sacrae militiae tirones magni ducant, ament atque in animo suo pudicitiam tutentur, quippe in qua sit magnam partem positum quod eiusmodi vitae genus iidem sibi constituant, in eoque permaneant. Quae propterea, cum in humana consortione in tanta incurrat pericula, est quod, qui sacerdotalem dignitatem suscepturi sint, in illorum animis iamdiu firmiterque inhaeserit. Non modo igitur certiores clerici opportune fiant quid sint sacerdotum caelibatus ab iisdemque servanda castitas,[82] quidve ea officii exigant, sed de periculis etiam moneantur, quae hanc ob rem afferri ipsis possint. Cohortandi item sunt sacrorum alumni, ut iam a prima aetatula ab periculis praecaveant, ad eas confugiendo cupiditatum comprimendarum rationes, quas caelestium rerum magistri suadeant; quoniam quo erit cupiditatum firmior ac constantior moderatio, eo magis in ceteris virtutibus proficiet animus, uberioresque erunt sacerdotalis sollertiae fructus. Quodsi quis clericorum hac in re ad malum se praestiterit proclivem neque, experimento per aequum temporis spatium capto, ab improba propensione se removerit, is erit utique e Seminario exigendus, antequam sacris ordinibus initietur.

101. Haec, de quibus diximus, ac cetera animi ornamenta, sacerdotibus digna, iuvenes in Seminariis degentes facile sibi comparaverint, si a pueris sinceram ac teneram pietatem suxerint erga Christum Iesum « vere, realiter, et substantialiter » sub Sacramenti augustissimi specie praesentem interque nos hisce in terris commorantem; si simul aeque a Christo incitata fuerint atque in Christum spectaverint vel consilia vel labores quae alumni susceperint. Laetitia vero summa perfundetur sane Ecclesia, si ad pietatem erga sanctissimum Eucharistiae Sacramentum adulescentuli singularem pietatem adiunxerint in Beatissimam Virginem Mariam; pietatem inquimus, cuius impulsu animus se totum Divinae Matri committat, ad eiusque sequenda exempla virtutum moveatur; quandoquidem numquam praeclara sollersque actio in sacerdote desiderabitur, cuius adulescentiam praecipuus enutriverit in Iesum et in Mariam amor.

---

[81] *Ad Philadelphienses* VII, 2; Migne, *P. G.*, V, 700.
[82] Cf. *C. I. C.*, can. 132.

Cura novellorum sacerdotum.

102. Facere hoc loco, Venerabiles Fratres, non possumus quin etiam vobis hortatores simus, ut novellorum sacerdotum commendatam singulariter vobis curam habeatis.

103. Eo tempore quo e Seminarii claustris sacra obituri munera egrediuntur, sacerdotibus, idcirco quod in apertum prosiliunt apostolatus campum, periculum occurrere post, nisi iam ad novam huiusmodi vitae rationem prudenter ii fuerint instructi. Quam ad rem opportune consideraveritis spes bonas de recentibus sacerdotibus captas saepe posse ad irritum cadere, nisi quis ad labores pedetemptim eos admoverit, nisive ipsis ad labores accedentibus sapienter quis advigilaverit paternoque more moderatus fuerit.

104. Quapropter probatur valde Nobis novellos hosce sacerdotes, ubicumque potest, per aliquot annos in certa collegia recipi, quibus locis, viris gubernantibus multarum rerum peritis, altius ad pietatem ad sacrasque disciplinas excolantur, ac pro suo cuiusque ingenio ad sacerdotalia munera erudiantur.

105. Has ob causas in votis Nobis est eiusdemmodi collegia vel singula in singulis dioecesibus vel, si res id postulaverit, singula ad plures dioeceses constitui.

106. Quod ad Nostram hanc Urbem attinet, idem iam Nos, quinquagesimo expleto Nostri sacerdotii anno, perlibentes facimus, cum Domum, cui a S. Eugenio nomen est inditum, recentibus a sacerdotio iuvenibus excitari iussimus. [83]

107. Vos adhortamur, Venerabiles Fratres, ut, quantum fieri potest, inexpertos adhuc sacerdotes in medias ne ingeratis operas, neve eos assignetis locis, vel ab urbe Dioecesis principe vel a celebrioribus eius oppidis remotis. In huiusmodi enim vitae statu si versarentur, segreges, imperiti, periculis oppositi, a magistris prudentibus inopes, incommoda procul dubio ipsi capere eorumque alacritas possent.

108. Probatur quoque admodum Nobis, Venerabiles Fratres, hos novellos sacerdotes una cum loci curione maximo eiusque administris vivere; propterea quod facilius ita, senioribus praeeuntibus, ad sacra munera iidem poterunt informari, atque pietatis studio ardentius imbui.

109. Animorum Pastores omnes ea de causa commonefacimus in suis, magna ex parte, positum esse manibus futurum horum

---

[83] Cf. *A. A. S.*, XLI. 1949, pp. 165-167.

iuvenum sacerdotum successum. Ardor namque et vis, quibus hi in sacerdotio tirones ad primas se conferunt operas, aut restingui aut certe imminui quandoque poterunt seniorum exemplo, talium videlicet qui sive virtutum ornamentis non niteant, sive, illata causa ne veteres, quibus assueti sunt, consuetudines immutentur, otiosum praeoptent vitae institutum.

110. Quod in votum iam venerat Ecclesiae [84] id Nos et nunc comprobamus et commendamus vehementer, iniri scilicet vel ab unius curiae vel a plurium vicinarum curiarum clero communis vitae consuetudinem.

111. E qua communis vitae consuetudine etsi quaedam incommoditates oriri possunt, nemini tamen dubium est maximas proficisci utilitates: primum caritatis atque alacritatis studium magis magisque cotidie apud sacerdotes incendi; deinde christiano populo documentum supponi quomodo iidem sint a suis ipsorum rationibus a suisque propinquis voluntate seiuncti; tum palam fieri omnibus quam religiosa cura sacerdotes castimoniae suae consulant.

112. Ceterum opus est etiam studiis sacrorum administros dare operam, uti Codice Iuris Canonici continetur: « Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant ». [85] Quo Codice praeter quam quod periculum a sacerdotibus novellis praecipitur « singulis annis saltem per integrum triennium » faciendum. [86] conventus quoque saepius in anno ab iisdem habendi praescribuntur « ad scientiam et pietatem... promovendam ». [87]

Bibliothecae in usu cleri.

113. Sed ad studia incitanda, quae saepenumero sacerdotes prae domesticae exiguitate rei celebrare nequeunt, summopere expedit locorum Ordinarios, ex vetere praeclaroque Ecclesiae instituto, bibliothecas vel ad aedem Dioecesis principem, vel ad canonicorum collegia, vel ad curias ipsas quondam ordinatas, in pristinam revocare dignitatem.

114. Quae quidem bibliothecae, quamvis plerumque expilatae eversaeque fuerint, non raro tamen acceptis quasi permagna hereditate cum membranis tum libris aut scriptis aut typis ex-

---

[84] Cf. *C. I. C.*, can. 134.
[85] Can. 129.
[86] Can. 130, 1°.
[87] Can. 131, 1°.

cusis adhuc ornantur atque ditantur: « quae praeclaro sane testimonio hinc sunt quantos Ecclesia exantlaverit labores quantaque auctoritate floruerit, hinc qua divina fide pietateque maiores nostri arderent, studia exercerent, politam elegantiam adamarent. » [88]

115. Ne neglectorum receptaculorum loco hae bibliothecae existimentur, sed veluti viventis potius structurae, in qua idoneum conclave libris pervolutandis paretur. At cumprimis bibliothecae ad nostrorum temporum usus ordinentur, atque scriptis omne genus instruantur, praecipua religiosarum et sociabilium rerum ratione habita; ut nimirum praeceptores, ut curiones, ut novissimi praesertim e sacerdotibus satis inde doctrinarum ad veritates evangelicas promulgandas ad errores-que redarguendos haurire possint.

IV

Difficultates praecavendae.

116. Nostrarum denique partium esse ducimus, Venerabiles Fratres, de difficultatibus vos commonere, quae ad nostra haec tempora proxime pertinent.

117. Exploratum certumque esse vobis arbitramur serpere latius et gravius in dies novarum rerum studium inter sacerdotes, ut plurimum sive eruditione atque doctrina sive vitae severitate minus quam ceteri praeditos.

118. Per se novitas neutiquam est veritatis indicium, atque una ea est condicione laudanda, ut simul veritatem confirmet, simul probitati ac virtuti conducat.

Pericula nostrae aetatis.

119. Hac, quae volvitur, aetate graviter quidem itinere deerratum est: est siquidem dolendum plura philosophorum genera internasci, eademque, hominum moribus nullo modo emendatis, dilabi; insignia ad deformitatem artis opera cerni, quae christianum nihilo secius nomen mentiuntur; administrandae rei publicae rationem magis ad singulorum civium quam ad communem omnium prosperitatem haud paucis in locis spectare; vitae instituta de oeconomicis ac sociabilibus rebus plus periculi honestis quam versutis hominibus moliri. Ex quo proclive con-

---

[88] Cf. Epistulam E.mi Card. Petri Gasparri, a publicis Ecclesiae negotiis, ad Italiae Episcopos datam die 15 mensis Aprilis anno 1923: in *Enchiridion Clericorum*, Typ. Pol. Vat. 1937, p. 613.

sequitur sacerdotes nostris hisce diebus omnino non deesse, in quos eiusmodi contagio aliquo modo influat; qui non numquam opiniones imbibant vitaeque genus, etiam in ipso vestis ornatu cultuque corporis, instituant, aeque a sua dignitate aeque a suis muneribus aliena; qui novitatis cupiditate ducantur, cum in concionibus ad christianum populum habendis, tum in adversariorum erroribus coarguendis; qui denique, cum haec fecerint, non solum animi sui fidem infirment, sed, sua etiam attrita fama, efficacitatem sacri officii extenuent.

120. Quibus super rebus diligentiam summopere excitamus vestram, Venerabiles Fratres, nihil sane dubitantes inter immodicam, quae apud non paucos invaluit, vel acti temporis vel futuri cupiditatem, eam vos esse prudentiam adhibituros, quae tum etiam sapiens ac vigilans sit oportet, cum in novis periclitabitur viis, quid alacritatis quidve contentionis suscipiendum sit quaerens, ut una veritas tandem victrix emergat. Longe plane absumus, ut profiteamur apostolicos labores non debere cum ipsa, quae nunc agitur, vita congruere, neque eas, quae nunc instituuntur, operas non debere huius aetatis necessitatibus inservire. Sed cum sacerdotalem quamvis in Ecclesia sumptam operositatem per legitimae dignitatis gradus necesse sit digeri, nova hac de re incepta non nisi Episcopo sinente ineantur. Sacri autem Pastores ex eadem regione vel Natione hisce super causis identidem opportuna consilia inter se conferant, ea quidem mente ut propriis locorum utilitatibus prospiciant, ac rationibus caveant ad religiosam actionem magis accommodatis atque idoneis. Quae si omnia ad mandatum ordinem relata fuerint, sacerdotum officia non poterit quidem efficacitas non consequi. Haec sibi persuadeant omnes: Aeterni Numinis potius quam hominum voluntati esse obsequendum, atque apostolicam assiduitatem non pro suis cuiusque opinationibus, sed pro sacrae potestatis aut legibus aut normis esse praebendam. Spe enim usquequaque destituitur qui in opinione est posse se insolitis atque absurdis agendi rationibus et animi sui egestatem obtegere et Christi prolatando regno efficientem dare operam.

Clerus et quaestio socialis.

121. Porro non dissimilem recto huic, de quo diximus, agendi modo sacerdotibus ineundum esse putamus, cum de doctrinis socialibus, perinde ut hodie explicantur, causa versatur.

122. Sunt quidem hoc tempore qui ad communistarum, quos vocant, machinationes id videlicet cumprimis spectantium, ut quibus temporalem iidem polliciti fuerint felicitatem, ex eorum animis fidem extrahant, non modo expavescant, sed aestuante etiam sint animo. Verumtamen Apostolica haec Sedes, documentis recens hac super re datis, luculentem stravit viam, cui se committant omnes, e qua, salva officii conscientia, excedat nemo.

123. Ex alia vero parte non desunt qui se pavidos atque incertos ostendant, ad oeconomicam illam rationem quod attinet, quae a nimio privatarum divitiarum congestu nomen invenit; ex quo gravia consequi nocumenta Ecclesia non semel declaravit. Ecclesia siquidem non tantum ingentium opum ac vel ipsius possidendi iuris abusus indicavit, quos eadem oeconomica ratio parit ac defendit, sed etiam edocuit divitiae ac possessione ad res labore procreandas conferant oportere, cum universae hominum societatis emolumento, itemque cum humanae libertatis dignitatisque tuitione atque incremento. Quae ex utraque oeconomica ratione oriuntur damna omnibus peculiarique modo sacerdotibus persuadeant, ut de re sociali doctrinam, quam Ecclesia tradit, fideli animo amplectantur, eamdemque ceteris impertiant ac pro viribus in usum deducant. Haec enim doctrina una potest tam late invalescentibus malis mederi; quandoquidem omnia iustitiae unaque simul caritatis officia summa perfectione componit; ac talem excitari iubet societatis ordinem, qui singulos cives non opprimat, neque ob nimium utilitatis cuiusque suae studium invicem eos distineat, sed omnes potius quodam mutuarum rationum concentu fraternaeque necessitudinis vinculis devinciat.

124. Sacerdotes, Divini Magistri vestigiis insistentes, egentium atque opificum necessitatibus pro facultate occurrant, iisque omnibus, qui in rerum angustiis versentur; in quibus quidem non pauci, ut omnes norunt, e media etiam societatis classe atque ex ipso sacerdotum ordine censendi sunt. Nihilominus eos ne neglegant, qui, cum satis fortunae habeant, animi tamen egestate laborant; atque adeo ad vitam penitus instaurandam vocandi sunt, Zachaei exemplo in memoriam redacto, qui dixit: « Dimidium bonorum meorum... do pauperibus, et si quid ali-

quem defraudavi, reddo quadruplum ».[89] Cum de re sociali causa vertitur, sacrorum administri numquam obliviscantur quo suum debeat spectare munus: alacres nempe ac nihil haesitantes recta ea proponant doctrinae principia, quae, in variis societatis classibus, ad ius dominii, ad divitias, ad iustitiam caritatemque pertineant; eademque principia quo aptiore modo efficienda sint suo exemplo doceant.

125. Haec tamen doctrinae praecepta laici homines ad effectum deducenda curent. Quodsi ad rem pares non sint, eos sacrorum administer quam aptissime instruat atque conformet.

Sollicitudo Summi Pontificis pro clero indigenti.

126. Heic opportunum esse ducimus causam attingere de domesticarum rerum angustiis, quibus plurimi sacerdotes post recens bellum afflictantur; in iis praesertim regionibus, quae vel eiusdem belli causa, vel ob politicarum rerum statum maxima acceperunt detrimenta. Harum rerum condicionibus cum acerrime Nos angamur, nihil reliqui facimus, quod pro facultate Nostra possit calamitates, aerumnas summamque multorum indigentiam relevare.

127. Probe nostis, Venerabiles Fratres, Nos — quibus in locis maiores viderentur esse necessitates — per Sacrum Consilium cleri disciplinae praepositum, extraordinarias Antistitibus fecisse facultates ac peculiares edidisse normas, quibus graviores oeconomicarum rerum disparilitates aequo modo componerentur, quae ad sacerdotes pertinerent Dioecesis cuiusque suae. Atque exploratum Nobis est alicubi sacrorum administros non paucos, laude sane dignos, suorum Pastorum monitis obsecutos esse; alicubi vero, ob natas difficultates, datas normas integra ex parte suos effectus consecutas non fuisse.

128. Vos igitur adhortamur ut, paterno ducti animo, inceptum iter insistatis, cum non liceat operarios in vineam Domini missos cotidiano carere pane. Hac de re ne gravemini identidem Nos certiores facere qui successus operam vestram consecuti fuerint.

129. Ac praeterea consilia illa summopere commendamus, Venerabiles Fratres, quae inter vos collaturi estis, ut non modo in praesens sacerdotibus cotidiano victui necessaria ne desint, sed ut iisdem, etiam in posterum, certis statutis opportunisque rationibus, prospiciatur —quod quidem in civili societate factum

---

[89] Luc., XIX, 8.

admodum probamus — idque cum praecipue vel iidem sacerdotes in morbos incidant, vel devexa valetudine laborent, vel senectute conficiantur. Ita enim eos sollicitudine exsolveritis de futuro ipsorum vitae statu.

130. Quam ad rem gratum placet sacerdotibus Nostrum significare animum, qui incommoda posthabentes, quae inde sibi exoriantur, suis in sacro ministerio collegis, ope egentibus, suppetias venerint ac veniant, senio praesertim, vel infirmitate affectis.

131. Id enim praestantes, egregium mutuae illius caritatis praebent indicium, quam Christus discipulis suis quasi insigne dedit, quo ab omnibus dignoscerentur: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ».[90]

132. Ominamur quoque ut arctioribus cotidie fraternae huius necessitudinis vinculis Nationum omnium sacerdotes invicem copulentur, ut luculentius usque pateat eos, cum Dei communis omnium Patris administri sint, eodem, ubique gentium commorentur, amoris afflatu inter se animari.

133. At vobis procul dubio perspectum est gravibus huius causae difficultatibus vos mederi penitus non posse, nisi christifideles etiam se officio teneri sentiant, pro sua cuiusque parte, clero subveniendi; ac nisi opportuna omnia adhibeantur, quae ad huiusmodi conducant finem.

134. Propterea concreditum vobis populum admoneatis debito eum obstringi ferendi opem sacerdotibus, qui in necessitate versentur; quandoquidem semper Divini Redemptoris sententia viget: « Dignus est enim operarius mercede sua ».[91] Quomodo enim a sacrorum administris alacrem sui muneris operam postulari potest, quibus necessariae ad vivendum res non suppetant?

135. Ceterum qui christifideles hoc neglegunt, Ecclesiae inimicis, etsi nolentes, viam quasi sternunt, qua facilius iidem queant ad inopiam in non paucis Nationibus redigere clerum, ut eum a legitima auctoritate abstrahant.

136. Ii etiam, qui publicae rei praesunt, pro diversis Civitatum condicionibus, necessitatibus cleri consulant oportet, ex cuius perfunctione muneris plurimae utilitates ad civium animos eo-

---

[90] Ioann, XIII, 35.
[91] Luc., X, 7.

rumque mores, summo cum totius societatis profectu, permanare possunt.

137. Postremo, antequam scribendi finem faciamus, temperare Nobis non possumus quin ea hortamenta summatim hei: vobis iteremus, quae cotidie ante oculos habeatis necesse est, utpote praecipuae existimandae sint vitae navitatisque vestrae normae.

138. Cum Iesu Christi sacerdotes simus, eo contendamus oportet, ut quam ipse egit, hominum redemptio validissimam in singulorum animos vim exserat. Gravissimas autem aetatis huius nostrae necessitates intento reputantibus animo, enitendum nobis est ut fratres, vel a recto itinere aberrantes, vel cupidinum obcaecatos caligine, ad christiana praecepta reducamus; ut populos christianae doctrinae luce collustremus, christianis regamus normis et christianorum officiorum conscientia penitus informemus; ut denique omnes incitemus ad veritatis et iustitiae animose certanda certamina.

139. At propositam metam tum solummodo assecuturi erimus, cum ad talem sanctitudinis pervenerimus verticem, ut quam a Christo vitam virtutemque in nos derivaverimus, eam in ceteros effundamus.

140. Singulos igitur sacerdotes Apostoli hortatione monemus: « Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi... cum impositione manuum presbyterii »; [92] « in omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis ». [93]

141. Dilecti filii, suscepti muneris gratiam plurimi facientes, ita vivite ut eadem in vobis vigeat fructusque pariat uberrimos, qui ad spiritualem Ecclesiae utilitatem ad eiusque inimicorum emendationem summopere conferant.

142. Utque paterna haec adhortatio Nostra quod spectat feliciter assequatur, vos etiam atque etiam hisce verbis admonemus, quae hoc Sacro praesertim vertente Anno tam opportuna videntur: « Renovamini... spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis »; [94] « estote... imitatores Dei, sicut filii caris-

---

[92] *I Tim.*, IV, 14.
[93] *Tit.*, II, 7, 8.
[94] *Ephes.*, IV, 23, 24.

simi: et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo »; [95] « implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et in canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino », [96] « vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis ». [97]

143. Quae Apostoli gentium incitamenta animo recogitantes, opportunum ducimus suadere vobis ut, hoc eodem Sacro volvente Anno, Spiritualibus Exercitiis operam praeter statum ordinem detis; ita quidem ut, pietatis ardore moti, quem inde percepturi estis, ceterorum quoque animos ad potiundos divinae indulgentiae thesauros aptius advocetis.

144. Cum autem peculiari modo experiemini quam difficile sit per arduum sanctimoniae procedere iter, ac vobis creditis perfungi officiis, tum ad eam fidentes oculos fidentemque animum erigite, quae Aeterni Sacerdotis cum sit Genetrix, catholici quoque cleri est Mater amantissima. Non modo huius Matris erga vos benignitatem optime nostis, sed multis etiam locis, illius Immaculati Cordis misericordia concionando proposita, christiani populi fidem ac pietatem mirum in modum saepenumero exsuscitastis.

145. Si omnes Deiparae Virgini flagranti in amore sunt, at singulari dilectionis studio ipsa sacerdotes amplectitur, qui vivam Iesu Christi imaginem in se referunt. Cum igitur eiusmodi singularem amorem ac peculiarem in vos omnes Beatissimae Virginis tutelam summo cum animi solacio consideraveritis, tum vestros sentietis ad sanctitatem et ad sacerdotalia exercenda munera nisus faciliores fieri.

146. Nos Almae Dei Parenti, caelestium gratiarum conciliatrici, omnes quotquot in orbe terrarum sunt sacerdotes, enixe commendatos volumus, ut, ea deprecante, largissimam Deus effusionem sui Spiritus descendere iubeat; qui quidem et sacrorum omnes administros ad sanctimoniam impellat, hominumque genus renovatis moribus instauret.

147. Quae fausta ac salutaria, Immaculatae Virginis Mariae interposito patrocinio, eventura sperantes, supernorum mune-

---

[95] Ibid., V, 1, 2.
[96] Ibid., V, 18, 19.
[97] Ibid , VI, 18.

rum copiam omnibus imploramus; sacris praesertim Antistitibus ac sacerdotibus, qui, cum Ecclesiae iura eiusque libertatem pro officii sui conscientia tuiti fuerint, insectationes, carcerem, exsilium patiuntur. Eos Nos peculiari caritate prosequimur; utque sacerdotali illa, qua adhuc in exemplum praestitere, fortitudine ac virtute excellere pergant, paterno eos adhortamur animo.

148. Quorum interea supernorum munerum sit auspex paternaeque voluntatis Nostrae testis Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, cunctoque clero vestro amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXIII mensis Septembris anno Maximi Iubilaei MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.* vol. XXXXII (1950) pag. 657-702).

ADNOTATIONES

DE TRIBUS AD CLERUM PONTIFICIIS ADHORTATIONIBUS

Divinus Redemptor Christus in mundum venit ad omnes homines illuminandos. Ipse S. Ioannes nobis testatur verbis: « erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum » (*Jo. 1, 9*).

Eius voluntas erat ut ignis, quem Ipse in mundum miserat, ubicumque exardesceret: « Ignem veni mittere in terram, et quod volo nisi ut accendatur? » (*Lc. 21, 49*).

Quod eruditionis opus ac inflammationis in publici muneris triennio praecipue evolvit. Negare tamen non licet Christum hoc temporis spatio, etsi omnium bono provideret atque consuleret, quam maxime vero ad Apostolorum formationem attendisse, qui destinati ac designati erant ad eius opus beneficum persequendum.

Romani Pontifices, cum divini Magistri exemplum semper essent imitati, omniumque saluti solliciti, omnes curas et cogitationes ad sacerdotum sanctitatem obtinendam contulerunt. Sacerdotes sancti mundo saluti erunt.

Nulla admiratio igitur si ipsi in adhortationibus ad Clerum sescenties se contulerint. Hic liceat mihi breviter illustrare tres adhortationes ex corde et mente ultimorum trium Pontificum, sc. Pii X, XI ac XII, profluentes.

Pius X anno quinquagesimo sacerdotii Sui, sc. pridie nonas Sextiles 1908, adhortationem conscripsit, cui titulus: *Inerent animo.*

Pius XI, die 13 kal. Jan. 1933, occasione Jubilaei, ad undevicesimum centenarium humanae Redemptionis commonendum indicti, adhortationem *Ad catholici sacerdotii fastigium* largiebatur.

Et Pius XII, feliciter regnans, nuper, die 12 kal. Oct. 1950, Suam adhortationem *Menti nostrae* scripsit.

Perutile in primis videtur tres istas adhortationes inter se comparare. Adest haud dubio quidem progressus in rerum explicatione, sed tres adhortationes vere similes sunt. Nec aliter esse posset, cum Christus Eiusque Evangelium semper idem sint: « Christus heri et hodie, ipse et in saecula ». (*Hebr. 13, 8*).

Omnes namque tres adhortationes agunt de notionibus sanctitatis eiusque necessitate; de virtutibus sacerdotalibus ac de mediis ad illas adipiscendas atque servandas.

Ultimi duo Pontifices quaedam practica monita ad iuvenis cleri disciplinam addiderunt ac Pius XII adhortationem Suam concludit quibusdam cum animadversionibus magni momenti de nostrae aetatis conditionibus eiusque periculis.

Dum vero Pius X Eiusque successor Pius XI praesertim *de sanctitate* loquuntur, Pius XII *de perfectione* potius agit.

Etsi duo sint modi absimiles sentiendi, tamen vere idem significant. Sanctitas enim idem est ac ab hominum commercio abstinere et se Deo consecrare, quasi se eripere ab usibus profanis et a lege sanciri.

Perfectio est aliquid « totaliter factum », cui nihil desit ut quis finem assequi valeat. Revera est gratiae sanctificantis possessio et, consequenter, caritatis infusae; sed talis ferventis caritatis ut in actus erumpat; quia, nisi huiusmodi esset aliquid ei deesset nec amplius perfecta dici posset.

Quae quidem sanctitas ac perfectio sacerdoti sunt absolute necessariae. Quod Pius X non modo ex eius munere deducit, cum ille lux mundi sit et sal terrae, verum etiam ex officiis quae ipsi sunt exercenda, cum et legatione atque instrumento Christi, qui sanctus est, et mysteriorum Dei largitore fungatur, idemque sit quoque sanctissimae victimae immolator gratiarumque suarum distributor.

Pius XI vult ut sacerdos sanctificetur propter dignitatem, cum in sua potestate divini Redemptoris corpus mysticum ac reale habeat, sitque veritatis atque caritatis apostolus.

Sacerdos etiam interpretis munere fungitur inter Deum et ho-

mines; sanctitatisque Dei fit particeps cunctisque mortalibus exemplo.

Pius XII in eius vocatione instat, quae divina est, atque in unione cum Christo Domino.

Tres Pontifices omnium virtutum exercitationem una voce a sacerdotibus expetunt, cum hoc Eorum propositionum sit consectarium.

Caritas fervens sit, sc. sicut aqua quae effervescit subditis ignibus coelumque contingit pustulis, ita sacerdotis cor, quod Dei amore effervescit, actibus caritatis erga Deum consurgere debet.

Notandum autem est non agi tantum de actibus formalibus caritatis, verum etiam de actibus omnibus aliis virtutibus imperatis, qui, hoc modo, omnes sunt actus caritatis.

Pius X sacerdotis defectus, quos ille corrigere et emendare tenetur, colligit potius quam singulas virtutes enumeret earumque studium ac exercitationem.

Probae voluntatis defectionem Ipse conqueritur necnon inanis gloriae spiritum, honorum studium et cupiditatem ac praesertim lucri desiderium. Ignaviam quoque conqueritur ac neglegentiam in parvis rebus confessionisque frequentis fastidium. Omnium virtutum exercitationem generatim commendat, attenta temporum iniquitate, in quibus magis magisque necessarium est ut sanctitas cleri elucescat.

Pius XI, e contra, sex praecipuas virtutes enumerat, quas in sacerdote inveniri oportet; pietatem sc., castitatem, e rebus exterioribus seiunctionem supra humana surgendo, oboedientiam et amorem erga studium et scientiam. Est quaerela potius quam adhortatio.

Pius XII maximi facit duas virtutes, oboedientiam sc. et castimoniam, quas hoc modo describit: « virtutes... quibus, veluti fundamentis, tota sacerdotum sanctitas nititur ».

De ipsis fusius loquitur, affirmans in Superioris voluntate ipsius Dei voluntatem inveniri sacerdotesque assimiles Christo fieri, Cui hisce in terris illud unum erat propositum: « Ut faciam, Deus, voluntatem tuam » (*Heb. 10*, 7).

Hinc inserviendi Episcoporum voluntati necessitas, sicut in praeceptis est S. Ignatii Antiochensis: « Omnes Episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri » (*Ad Smyrneos*, *8*, 1; MIGNE, P. G. VIII, 714) et « Sine Episcopo nihil facite » (*Ad Philadelphienses* 7, 2; MIGNE P. G. V, 700).

De castimonia ait: « Quo splendidius autem sacerdotalis castimonia refulget, eo magis sacrorum administer fit una cum Christo hostia pura, hostia sancta, hostia immaculata » (*Missale Romanum*).

Sed Pius XII, praeter has duas virtutes, non tantum alias quattuor ab Eius Decessore propositas, verum etiam multas alias memo-

rat; fidem sc. memorat sacerdoti, « ut ipsius agendi rationi catholica fides praeluceat, eiusdemque fidei splendorem sua agendi ratio quodammodo reverberet ».

Umilitas quoque memoratur, qua « sacerdos non suis viribus confidat, non suis dotibus immodice delectetur »; et pietas, quae interiori spiritu nitatur orationeque ac amore in sacram Liturgiam manifestetur.

Devotionem filialem erga B. M. Virginem, gratiarum Matrem, his admonet verbis: « Cum autem sacerdotes familiari titulo Mariae Virginis filii vocari queant, temperare sibi non poterunt quin Eam incensissima pietate adament, fidenti Eam animo invocent, validamque Eius tutelam frequenter implorent ».

Ne res labiles ac perituras huius mundi nimis diligant hortatur, atque ad probitatem sinceritatemque instituti ac eruditi, « animi firmitatem summo in praetio habeant, a fallacia et a cuiusvis generis simulatione abhorreant ».

Fratribus exemplo sint studiosique theologiae ac philosophiae, bibliothecarum auxilio, « ne litterarum doctrinarumque studiis ii, qui futuri sint sacerdotes, iis nihil saltem cedant, qui e laicis iuvenibus paris sint disciplinae auditores ».

Apostolicum studium, pro animarum salute, divino amore flagrent.

Ad hos mirabiles virtutum fructus obtinendos, Pius X ac Pius XII quaedam ostendunt adiumenta, plus minusve aequalia. Hoc modo a Pio X ipsa enumerantur: ad Deum precatio, meditatio, propriae conscientiae secreta perscrutatio, spiritualium Exercitiorum usus, sacerdotales consociationes.

A Pio XII verum ita: Breviarium; cum Christo ed Ecclesia agere; Eucharisticum Sacrificium intima quadam ratione vivere; spiritum liturgicum sequi; Sanctissimi Sacramenti visitationem quotidie peragere; peccatorum expiationem purificationemque frequentem, per Poenitentiae Sacramentum, desiderare; in spiritualis vitae itinere ingredi ac prosequi; erga B. M. Virginem devotionem colere.

Quod vero in regnante Pontifice singulare habetur, Eius adhortatio est ut sacerdos cum divino Redemptore arctissime coniungatur atque « continenter suos oculos ad Christum convertat Eumque imitetur ».

Eiusque vestes induendi necessitatem affirmat « quod non modo significat ad eius doctrinam mentem dirigere, sed novam etiam vitam ingredi », atque cum Christo sentire unaque cum Illo sese immolare persecutionemque pati. Qualis ordo ac sublimi sacerdotum vivendi ratio!

Pius XI ac Pius XII praecepta magni momenti in Suis adhortationibus addunt ad iuniorem clerum erudiendum.

Uterque in eo conveniunt quod sacerdotalis vocatio a Deo originem habeat, Sancti Spiritus divina incitatione atque permotione in petitorem; de eius legitimitate autem iudicium ad Episcopum pertinet, qui vero grave in se officium recipit!

Ambo Pontifices auxilium admittunt in ipsis vocationibus excitandis, quod et familia et clerus inprimis praestant, sive verbi Dei praedicatione, sive sacerdotalis vitae gradusque Apostolatus explanatione, sive tandem exemplo precationumque usu ad Deum.

Verae vocationis signum proprium integritatem morum uterque esse asserunt.

Pius XII de hac re ita loquitur: « . . . ament atque in animo suo pudicitiam tutentur, quippe in qua sit magnam partem positum quod eiusmodi vitae genus iidem sibi constituant, in eoque permaneant ».

Pius XI autem voluit ut sacrae militiae tirones « diuturnis experimentis evitare posse demonstrent libidinis turpitudinem ».

Ad indignorum exclusionem quod attinet, ratio videndi discors videretur adesse.

Pius XII ait: « Quodsi quis clericorum hac in re ad malum se praestiterit proclivem neque, experimento per aequum temporis spatium capto, ab improba propensione se removerit, is erit utique e Seminario exigendus, antequam sacris ordinibus inauguretur ».

Animadvertere mihi liceat textum Pii XII, latino sermone exaratum, non uti verbo « Seminarii alumnis », sed « clericis ».

Nunc, iuxta C. J. C. (can. 198, § 1) clerici dicuntur « qui divinis ministeriis per primam tonsuram mancipati sunt »; et iuxta can. 76 § 1, tonsura nequit conferri « ante inceptum cursum theologicum ».

Quod vero cum verbis Pii XI pugnare non videtur, quia, dum Pius XII experimenti maximum signat, Pius XI vero eiusdem initium indicaverit.

Regnans Pontifex, e tribus solus, quasdam addit magni momenti monita de nostrorum temporum difficultatibus ac periculis, ac novarum, imprimis, rerum in dies cupiditate.

Novitatem neutiquam esse per se veritatis indicium ipse testatur « atque una ea est conditione laudanda, ut simul veritatem confirmet, simul probitati ac veritati ac virtuti conducat; secus laudanda non reputatur ».

Postea de nova quadam Apostolatus methodo agit, non certo ut ea instauretur, quae « actionis haeresis » iure meritoque nominatur; sed ut in quaestionibus socialibus sacerdotes versentur, communistarum doctrinam impugnando atque illius oeconomicae rationis, quae a nimio privatarum divitiarum congestu nomen sumit, damna ostendendo.

Sacedotum indigentium tandem Pius XII prae oculis quaestionem habet, ad cuius solutionem non tantum popolus christianus, sed et qui publicae rei praesunt, obstringuntur, ipsius Romani Pontificis clara exempla imitando.

Comparationis inter tres Romanorum Pontificum adhortationes singulorum mihi liceat referre conclusionem.

Pius X D. N. J. Christi precem ad Patrem repetit in Coenaculo: « Pater sancte... sanctifica eos (*Jo. 17, 4-17*).

Pius XI verba, referens Pontificalis Romani, clerum adhortatur ut ipse verbo et opere domum Dei aedificet.

Pius XII cleri sanctitication desiderat ut iste alios sanctificare queat, ac « quam a Christo vitam virtutemque in nos derivaverimus, eas in ceteros effundamus ».

Faxit Deus ut preces nostrae Sanctaeque Ecclesiae desideria atque vota penitus exaudiantur.

O. Marchetti S. J.

N. B. *Alia commentaria in Adhortationem Apost.* Menti Nostrae *in sequenti fasciculo edentur.*

CONSTITUTIO APOSTOLICA

UNIVERSALE IUBILAEUM, ANNO DOMINI MILLESIMO NONGENTESIMO QUINQUAGESIMO ROMAE CELEBRATUM, AD CATHOLICUM ORBEM EXTENDITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
UNIVERSUS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Per Annum Sacrum, quem hac in alma Urbe usitato sollemnique ritu heri conclusimus, innumerae multitudines Romam petierunt ut elutis expiatisque animis suorum admissorum veniam a Deo impetrarent, plenamque sibi, vel vita functis lucrarentur indulgentiam. Id Nos summo solacio affecit, quandoquidem fore confidimus ut ex inflammato eiusmodi pietatis studio, quo confluentes peregrinantium turmae cum Romano populo quasi pie decertare visae sunt, christiana illa exoriatur renovatio morum, quae Nobis bonisque omnibus in votis est, et quam tantopere haec Nostra tempora postulant.

Non omnes tamen potuere Romanum iter suscipere; idque non modo ob oeconomicarum rerum discrimen, quod tenuiorem praesertim plebem angit, non modo ob senium, ob infirmitates, ob morbos aliasque causas, quibus praepedirentur, sed ex eo etiam quod in non paucis Nationibus ob peculiaria rerum adiuncta haec facultas non daretur.

Quamobrem valde opportunum ducimus ex more institutoque Decessorum Nostrorum decernere, ut qui Romae ad hesternum usque diem patuit iubilaris veniae thesaurus, idem per proximum integrum annum christifidelium universitati ubique gentium pateat. Ita enim sperandum est ut quod spiritualis vitae quasi ver novum, summa cum animi Nostri delectatione, per elapsos menses florescere vidimus, nedum exarescat, uberiores usque fructus edat salutares; utque mirandum illud christianae fidei pietatisque spectaculum, quod in sacra hac Urbe admirationem omnium commovit, in cunctis urbibus, oppidis, pagis feliciter iteretur.

Ad quod quidem facilius aptiusque efficiendum curent Venerabiles Fratres Episcopi ceterique locorum Ordinarii, ut greges suis crediti curis opportune hac de re edoceantur, et ad tantum fruendum beneficium impense excitentur. Peculiari autem modo optamus ut id fiat praesertim per conciones ad populum habitas, quae Sacrae Missiones vocantur, vel per Spiritualia Exercitia; quandoquidem experiundo est cognitum hoc divini verbi praedicationis genus multum multumque valere non modo ad errores refellendos et ad christianam doctrinam recte explanandam, sed ad id etiam assequendum, divina aspirante gratia, ut audientium animi ex terrenis rebus ad caelestia revocati tam salutariter commoveantur, ut suas labes eluant atque expient, et ad arduum ingrediendum virtutis iter sincera ac generosa voluntate exstimulentur. Nobis igitur in optatis est ut in singulis paroeciis, si possit, per proximum annum huius generis conciones opportune habeantur; talique ratione christifideles ad suorum impetrandam commissorum veniam plenamque lucrandam debitarum indulgentiam poenarum rite sancteque praeparentur.

Eos praeterea moneant sacrorum Antistites ut ad eamdem mentem Nostram supplices Deo preces admoveant, quam per Apostolicas Litteras *Iubilaeum Maximum* indicavimus, cum Annum Sacrum hac in alma Urbe celebrandum indiximus; peculiarique modo ut redeat tandem aliquando optatissima pax in omnium animos, in domesticos convictus, in singulas Nationes, in universamque populorum communitatem; ut habeant « qui persecutionem patiuntur propter iustitiam » [1] invictam illam fortitudinem, quae Ecclesiam inde ab originibus martyrum cruore decoravit; ut qui profugi, qui captivi, qui extorres longe a propriis laribus abstrahuntur, ad dulcissimam possint quantocius patriam remeare suam; ut denique civium ordines, pacatis odiis sedatisque discordiis, iustitia fraternaque concordia ac caritate invicem coniungantur; utque sanctissima Ecclesiae iura adversus hostium insidias, fallacias insectationesque incolumia semper inviolataque serventur. [2]

Itaque auctoritate Omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, Iubilaeum Maximum, quod in hac sacra Urbe celebratum est, ad universum catholicum orbem per Apostolicas has Litteras extendimus, ad Occidentalem nempe et ad Orientalem Ecclesiam, atque in integrum futurum annum prorogamus; ita scilicet ut lucrifieri possit a primis vesperis proximi diei festi Circumcisio-

[1] Matth. V, 10.

[2] Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, 1949, vol. XXXXI, p. 259-260.

nis Domini Nostri Iesu Christi ad plenum diem tricesimum primum mensis Decembris futuri anni MDCCCCLI.

Quamobrem omnibus utriusque sexus christifidelibus, extra Urbem eiusque suburbium commorantibus, etiamsi per elapsum Annum Sacrum Iubilaei veniam adepti iam sint, apostolica auctoritate Nostra plenissimam totius poenae, quam pro peccatis luere debeant, indulgentiam — ubique terrarum extra Urbem eiusque suburbium lucrandam — concedimus atque impertimus, obtenta prius ab iisdem admissorum cuiusque suorum remissione ac venia, dummodo rite per Paenitentiae Sacramentum expiati et Sacra Synaxi refecti — quam ad rem Confessio annua et Paschalis Communio minime iisdem suffragabuntur — ecclesias vel publica oratoria, hac de causa designanda, statuto tempore pie inviserint.

Haec autem omnia perfici debent ad has, quae sequuntur, normas, quas quidem Sacrae Poenitentiariae Apostolicae « Instructio » opportune declarat atque authentice interpretatur:

I. Locorum Ordinarii, sive per se ipsi, sive per probatos viros ecclesiasticos — quibus etiam, si libuerit, hanc potestatem per integrum anni spatium utendam permiserint — ad iubilares quo attinet visitationes agendas, in *episcopali urbe* cathedralem aedem ac tres alias ecclesias vel publica oratoria designabunt, in quibus, interdum saltem, eucharisticum sacrificium celebrari soleat; in *suburbio* vero et in *reliquis dioecesis partibus* paroecialem cuiusvis paroeciae ecclesiam dsignabunt, atque, intra eiusdem paroeciae fines, tres alias ecclesias vel oratoria, ut supra diximus. Id ipsum in Orientali Ecclesia Patriarchae aliique locorum Ordinarii per se ipsi faciant vel per ecclesiasticos delegatos viros; unusquisque autem pro sua cuiusque eparchia vel dioecesi.

At in regionibus a Missionalibus excultis, locorum Ordinarii, nullo habito discrimine inter Ordinarii sedem ac ceteras territorii partes, quattuor ecclesias vel publica oratoria, ut supra diximus, in qualibet quasi-paroecia vel missionali statione designent.

II. Quemadmodum per elapsi piacularis anni decursum Romae factum est, ita per proximi anni spatium una sacra visitatio habenda est in unaquaque vel unoquoque e quattuor ecclesiis vel publicis oratoriis designatis; idque sive eodem die, sive subsequentibus per annum diebus. Quodsi quattuor alicubi ecclesiae vel oratoria publica desint, Ordinarii, pro suo prudenti arbitrio, aut per se ipsi, aut per suos delegatos, decernere poterunt, ut praescriptas quattuor visitationes in minore aedium sacrarum numero peragi liceat.

Praeterea, ubi prudenti locorum Ordinarii iudicio possibile est sine gravi incommodo, unam e quattuor praescriptis visitationibus fieri valde opportunum est ad cathedralem aedem, vel ad aliquod Sanctuarium ad hoc designatum.

III. Preces, in unaquaque visitatione recitandae, hae sunt: quinquies « Pater, Ave, Gloria »; semel praeterea « Pater, Ave, Gloria » ad mentem Nostram; ac semel formula « Credo »; insuper ter « Ave Maria » cum invocatione « Regina pacis, ora pro nobis » ac semel « Salve Regina ». Ad haec adici potest precatio, quam Nosmet ipsi composuimus pro Anno Sancto MDCCCCL.

Ad Orientalem Ecclesiam quod attinet, christifideles, cum iubilares visitationes perficient, iis normis obtmeperare debent, quas, pro diversis ritibus, eorum Patriarchis locorumve Ordinariis Sacra Nostra Congregatio, Orientali Ecclesiae praeposita, opportuno tempore impertietur. Praeterea singulis locorum Ordinariis fit facultas praescriptas in sacra visitatione preces in alias preces commutandi, cum iubiliaris haec visitatio privatim agitur. Itemque Orientalis Ecclesiae fideles, qui extra territorii sui fines commorantur, cum latini ritus peregrinis se adiungunt, supplicationis formulas Latinis praescriptas adhibere poterunt; singillatim autem, sive proprii, sive latini ritus formulas iisdem recitare licet.

IV. Ut iubilares visitationes christifideles facilius instituere atque exsequi possint, eis facultas datur easdem peragendi visitationes etiam extra paroeciae vel dioecesis cuiusque suae fines; in templis tamen pro unoquoque loco ab Ordinario legitime designatis. Quod quidem, singula singulis referendo, populis quoque Missionalibus demandatis conceditur.

V. Decernimus praeterea ut, quemadmodum Romae per elapsum piacularem annum actum est, christifideles iubilarem hanc indulgentiam cum sibi, tum vita functis, toties lucrari possint, quoties imperata opera rite perficiant; ita tamen ut nulla pro alio iubilaeo acquirendo opera fieri queant, antequam inchoata opera pro praecedenti omnino absoluta fuerint.

VI. Ut autem christifidelibus consulamus, qui in peculiari rerum locorumque condicione versentur, haec statuimus, quae sequuntur.

1. Nautae iique omnes qui navibus inserviunt, si navigium, in quo iter faciunt, sacellum habeat, ubi fas sit sacris operari, inibi poterunt iubilares perficere visitationes. Sin aliter, iisdem concedimus ut, cum ad certam stationem se receperint, ibi, in quovis nempe

templo, iubilares visitationes, praescriptas preces recitando, instituere possint.

2. Locorum Ordinarii poterunt, aut per se ipsi, aut per ecclesiasticos delegatos viros, si qui impediantur ne visitationes, eo modo quo imperantur, obeant, vel harum numerum contrahere; vel ecclesias invisendas ad minorm item numerum reducere; vel denique sacras visitationes in alia pietatis caritatisve opera commutare, ad singulorum condicionem accommodata. — Impeditos autem heic intellegi volumus moniales, tertiarias regulares, religiosas sorores, in communitate viventes, pias feminas et puellas aliasve personas in gynaeceis seu *Conservatoriis* degentes; item anachoretas monasticum regularemve Ordinem profitentes et potius contemplationi quam vitae actioni deditos, ut Cistercienses Reformatos de Trappa, Eremitas Camaldulenses et Carthusianos; eos praeterea, qui aut captivi sunt, aut in carceribus custodiuntur; et ecclesiasticos vel religiosos viros, qui in coenobiis aliisve domibus, emendationis causa, detinentur. Impediti ii quoque censeantur, qui aut domi aut in nosocomiis sive morbo adsunt; ac generatim ii omnes, qui certo impedimento prohibentur quominus statutas visitationes obeant; aequo autem iure esse volumus operarios, qui cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt se ab eo per tot horas abstinere; ac senes denique, qui septuagesimum aetatis annum excesserint.

VII. Ad facultates quod pertinet, confessariis, ceteroquin ad iuris normam adprobatis, tribuendas, quibus in excipienda Iubilaei confessione salutariter utantur, haec, quae sequuntur, decernimus:

1. Confessariis illae integrae sunto facultates absolvendi, dispensandi, commutandi, quascumque ab Apostolica hac Sede vel in perpetuum vel ad tempus legitime impetraverint; id tamen intra concessionis terminos.

2. Monialibus iisque aliis feminis, quarum ad confessiones excipiendas, ex Codicis praescripto, specialis adprobatio Ordinarii requiritur, fas esto quemvis confessarium sibi eligere, ab eodem loci Ordinario pro utroque sexu adprobatum, apud quem Iubilaei confessio peragi queat; cui quidem electo confessario concedimus ut, in excipiendis dumtaxat Iubilaei confessionibus, omnes exercere possit facultates, quas ipse, vi Apostolicae huius Constitutionis, pro omnibus christifidelibus iam habeat.

3. Confessariis omnibus concedimus, ut per Annum Sanctum possint, pro foro conscientiae in actu sacramentalis Confessionis et per se ipsi tantum, absolvere quoslibet paenitentes non solum a qui-

busvis censuris et peccatis Romano Pontifici aut Ordinario a iure reservatis, sed etiam a censura ab homine lata. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragabitur.

VIII. At hisce amplissimis facultatibus ne utantur nisi normis exceptionibusque servatis, quae sequuntur:

1. Ne absolvant, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, eos, qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter illos, qui in censuram inciderint, de qua in can. 2388, § 1, Sanctae Sedi reservatam ad normam Decreti *Lex sacri coelibatus* per Sacram Paenitentiariam Apostolicam editi d. XVIII mensis Aprilis, a. MDCCCCXXXVI [3], itemque ad normam Declarationis ab eadem Sacra Paenitentiaria datae d. IV mensis Maii, a. MDCCCCXXXVII [4]; vi cuius Decreti et Declarationis haec censura in casu speciali, de quo agitur, ita Sacrae Paenitentiariae reservatur, ut nemo umquam, excepto periculo mortis, ab ea absolvere possit, ne vi quidem can. 2254.

2. Similiter ne absolvant, nisi ad praescriptum can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo praeditos, superioresque maiores Religionis exemptae, qui in excommunicationem speciali modo Sanctae Sedi reservatam publice inciderint.

3. Haereticos vel schismaticos, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvant, nisi ii, abiuratis saltem coram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum, ut par est, iam reparaverint, aut promiserint sese, ut par est, efficaciter reparaturos. Ne absolvant praeterea eos, qui in rerum adiunctis versantur, de quibus agitur in Decreto Sacrae Congregationis S. Officii, d. I mensis Iulii, a. MDCCCCXXXIX edito, de Communismo [5], nisi sincere et efficaciter resipuerint.

4. Pariter ne absolvant eos, qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi, abiurata saltem coram ipso confessario secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336, § 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eamdem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retinent, absolventi tradiderint, ad S. Officium quamprimum caute

[3] Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXVIII, p. 242.
[4] Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, vol XXIX, p. 283.
[5] Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXXXI, p. 334.

transmittenda, aut saltem — idque iustis gravibusque de causis — per se ipsi destruxerint; sin minus, ipsimet sincero animo spoponderint se memoratas condiciones esse, quamprimum potuerint, adimpleturos; impositis, praeterea, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari et frequenti sacramentali Confessione.

5. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvantur nisi aut iis restitutis, aut compositione quam primum ab Ordinario vel ab Apostolica Sede postulata, aut saltem promissione sincere facta eandem compositionem postulandi; nisi de locis agatur, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

6. Possint iidem confessarii omnia et singula vota *privata*, etiam Sedi Apostolicae reservata, iurata quoque, commutare in alia pia opera, ex iusta causa. Votum autem castitatis perfectae et perpetuae, quamvis ab origine publice emissum sit in professione religiosa tam simplici quam sollemni, subinde tamen, aliis huius professionis votis dispensatis, firmum atque integrum manserit, similiter possint, gravi de causa, in alia pia opera commutare. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A commutandis vero votis cum praeiudicio tertii, se abstineant, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit. Votum denique non peccandi, aliave paenalia vota ne commutent, nisi in opus, quod, non minus quam votum ipsum, a peccato refrenet atque arceat.

7. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto. Itemque dispensare possint ab irregularitate, de qua in can. 985, 4°; sed ad hoc unice, ut paenitens Ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat, imposito paenitenti onere, sub poena reincidentiae, recurrendi intra mensem ad Sacram Paenitentiariam, et standi eius mandatis.

8. Dispensare item possint, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu (sexto vel quarto iuxta computationem Orientalium) collaterali, etiam attingente primum (quartum vel tertium Orientalium), quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non ad contrahendum.

9. Sive autem de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo, dispensare possint ab occulto criminis impedimento, neutro tamen machinante; iniuncta, in primo casu, privata renovatione

consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, salutari, gravi diuturnaque paenitentia.

10. Ad visitationes quod attinet quattuor ecclesiarum, confessarii, pro singulis qui, iusta de causa, eas praescripta ratione perficere nequeant, facultatem habent cum concedendi dispensationem a visitatione alicuius ecclesiae, eam commutando — si fieri potest — in visitationem alius ecclesiae, tum etiam visitationum numerum contrahendi. Cum singulis autem, qui, morbo aliove legitimo impedimento detenti, memoratas ecclesias invisere nequeant, praescriptas visitationes in alia pia opera, quae ab ipsis impleri possint, commutent. Confessarii tamen sciant, se conscientiam suam oneraturos, si inconsulto et sine iusta causa christifideles ex eiusmodi visitationibus exemerint. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Nostram fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant; in aegrotantium tantum commodum liceat eas etiam imminuere.

11. Ab obligatione praescriptae confessionis, quam ad adimplendam nec invalida nec annua ex praecepto confessio sufficit, ullum ne exsolvant, ne eum quidem qui materiam necessariam non habeat.

12. Ad S. Communionem quod attinet, nefas esto eiusmodi praescriptum in alia pia opera commutare, nisi de aegrotis agatur qui ab ea suscipienda prorsus impediantur. Volumus autem, Iubilaei causa, eam sufficere, quae per modum viatici ministratur; minime vero eam, quae in Paschate peragenda praecipitur. Qui tamen paschale praeceptum misere neglexerit, possit is deinde una Communione utrique obligationi satisfacere.

13. Confessarii sciant posse se descriptis facultatibus uti cum omnibus fidelibus Ecclesiae tam Occidentalis quam Orientalis, qui ad confitendum apud ipsos accedant ea mente et voluntate, sincera quidem et firma, ut Iubilaei veniam lucrentur.

Facultatibus tamen absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris itemque dispensandi ab irregularitate cum eodem paenitente uti nequeant nisi semel tantum, cum ipse Iubilaei veniam primum lucretur.

Alias vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. 10 — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

Ceterum, si qui post inchoata, huius Iubilaei adipiscendi animo, praescripta opera, praefinitum visitationum numerum morbo impe-

diti complere nequiverint, Nos piae promptaeque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem rite confessos ac sacra Communione refectos, memoratae indulgentiae participes fieri volumus, non secus ac si omnia imperata opera explevissent.

Itaque haec omnia, quae per Apostolicas has Litteras constituimus ac declaravimus, volumus firma ac valida exsistere et fore, ad effectum Iubilaei ad universum catholicum orbem proferendi, non obstantibus contrariis quibuslibet. Earum autem Litterarum exemplis atque exerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo munitis viri in ecclesiastica dignitate constituti, eamdem iubemus adhiberi fidem, quae hisce adhiberetur Litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostrae concessionis, voluntatis et declarationis infringere, vel ei, ausu temerario, contra ire. Quod si quis attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die vicesima quinta mensis Decembris, in festo Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.* vol. XXXXII (1950) pag. 853-863).

(*Vide infra pag.* 102 ss. *Instr. S. Paenitentiariae Apostolicae cum* Adnotationibus, *S. De Angelis*).

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE SACRO MONIALIUM INSTITUTO PROMOVENDO

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sponsa Christi Ecclesia, [1] vel a primis suae historiae incunabulis exsistimationis ac maternae dilectionis sensus, quibus erga sacras Deo Virgines suaviter ferebatur, tam iteratis actibus ac signis patefecit quam perspicuis documentis confirmavit. [2]

Nec mirum sane, cum Virgines christianae, « illustrior portio gregis Christi », [3] caritate actae, alienas omnes mundi sollicitudines dedignantes [4] facilemque periculorum plenam cordis divisionem superantes, [5] non solum se totas Christo, ut vero animorum Sponso [6]

---

[1] *Eph.* 5, 25-27; *Apoc.* 21, 2-3; 22, 17; Hermas, *Vis.* 4, c. 2 (Funk, *Patres Apostolici* [*FPA*], 1, 460); S. Methodius, *Convivium*, orat. 3, (Thaliae), c. 8 (*PG*, 18, 72-75); et orat. 7, 7 (*PG*, 18, 133); S. Ambrosius, *De virginitate*, 1, 6, n. 31 (*PL*, 16, 208); *Exhortatio virginitatis*, c. 10, n. 67 (*PL*, 16, 372).

[2] S. Ignatius, *Epist. ad Polycarp.* 5. (FPA, 1, p. 290); *ad Smyrn.*, 12 (*FPA*, 1, p. 284); Iustinus, *Apologia I pro christianis*. 15 (*PG*, 6, 349); S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 3 (*PL*, 4, 455), 11 (*PL*. 4, 462); Pseudo-Clemens, *De virginitate*, cc. 2, 3 (*FPA*, 2[a], 1-5); S. Athanasius, *De virginitate*. 24 (*PG*, 28, 280); S. Basilius, *Liber de virginitate* (*PG*, 30, 670 ss.); S. Ambrosius, *De virginibus* (*PL*, 16, 198 sq.); *De virginitate*, c. 5, 24-26 (*PL*, 16, 286); *De institut. virg.*, 17, 104 (*PL*, 16, 345); S. Hieronymus, *Epist.* 22. 2 (*PL*. 22, 395), 22 (*PL*, 22, 409); S. Augustinus, *Epist.* 188, 1 (*PL*, 33, 849); *De sancta virginitate* (*PL*, 40, 397ss.), praesertim 27, (*PL*, 40, 410); S. Ioannes Chrysostomus, *De virginitate*, 11 (*PG*, 48, 540), 34 (*PG*. 48, 556); S. Leander, *Regula*, Introduct. (*PL*. 72, 876, *B*); *Constitutiones Apostolicae*. 2, c. 57 (*PG*, 1, 733; Funk, *Constitutiones Apostolorum* [*FCA*], 2, c. 57, 165).

[3] S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 3 (*PL*, 4, 455).

[4] 1 Cor. 7, 32-35; S. Thomas, 2-2, q, 186, a. 4.

[5] 1 Cor. 7, 32-35; S. Augustinus, *De sancta virginitate*, 22 (*PL*, 40, 407).

[6] 2 Cor. 11, 2; Tertullianus, *De oratione*, c. 22 (*PL*, 1, 1296); *De virginibus velandis*, c. 16 (*PL*, 2, 960); *De resurrectione carnis*, c. 61 (*PL*, 2, 932); *De exhortatione castitatis*. c. 13 (*PL*, 2, 978); S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 22 (*PL*, 4, 474); S. Methodius, *Convivium*. orat. 7 (Procilae) cc. 2-4 (*PG*, 18. 128, 129); S. Athanasius, *Apologia ad Constantium Imp.*, n. 33 (*PG*, 25, 640); *De virginitate*, c. 2 (*PG*. 28, 253); S. Basilius, *Epist.* 199, c. 18 (*PG*, 32, 717); S. Ambrosius, *De virginitate*, 12 (*PL*. 16. 297); *De virginibus*. 1, 7, n. 36 (*PL*, 16, 209), 1, 11,

devoverent, [7] sed integram vitam suam omnium christianarum virtutum gemmis ornatam, [8] in perpetuum ipsi Christo Domino atque Ecclesiae manciparent. [9]

Mystica haec Virginum Christo mancipatio Ecclesiaeque traditio primis christianis saeculis, sponte, ac potius factis quam dictis, perficiebantur. Cum vero Virgines, postea, non classem tantum, sed statum iam definitum atque ordinem ab Ecclesia receptum efformarent, [10] virginitatis professio publice fieri coepit, adeoque arctiore in dies vinculo confirmari. [11] Dein Ecclesia, dum sanctum virginitatis votum propositumve acceptabat, Virginem Deo Ecclesiaeque inviolabiliter eiusmodi solemni ritu consecrabat, qui merito inter pulchriora antiquae liturgiae monumenta recensetur; [12] eamque ab aliis clare distinguebat, quae privatis tantum vinculis sese Deo obligabant. [13]

---

nn. 65, 66 (*PL*, 16, 218): S. Hieronymus, *Epist. 22*, nn. 2, 25 (*PL*, 22, 395, 411); S. Augustinus, *Epist.* 188, 1 (*PL*, 33, 848); *In Ioannis Evang.* tr. 9, n. 2 (*PL*, 25, 1459); S. Thomas, *In IV Sent.*, d. 38 q. 1, a. 5.

[7] S. Cyprianus, *De habitu virginis*, 4 (*PL*, 4, 455); S. Methodius, *Convivium*, orat. 5 (Talusa) 1, 4 (*PG*, 18, 97, 101); Ps.-Clemens, *De virginitate*, 1 (*FPA*, 2, p. 1); S. Augustinus, *De sancta virginitate*, 8 (*PL*, 40, 400), 29 (*PL*, 40, 412).

[8] S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 4 (*PL*, 4, 455); Ps.-Clemens, *De virginitate*, cc. 2, 3 (*FPA*, 2, p. 1-15).

[9] Origenes, *In Rom.* 9, 1 (*PG*, 14, 1205); S. Methodius, *Convivium*, orat. 11 (Aretes), c. 1 (*PG*, 18, 204); orat. 8 (Theclae) c. 17 (*PG*, 18 173); S. Athanasius, *De virginitate*, 21 (*PG*, 28, 275); S. Ambrosius, *De virginibus*, 1, 10 (*PL*, 16, 216); *Exhortatio virginitatis*, 12, n. 80 (*PL*, 16, 375); S. Hieronymus, *Epist. 130*, 14 (*PL*, 22, 1118); S. Augustinus, *Epist. 98*, 6 (*PL*, 33, 362).

[10] S. Ignatius, *Ad Smyrn.* 13 (*FPA*, 1, 287); Tertullianus, *De virginibus velandis*, 14 (*PL*, 2, 957); Origenes, *In Num. homilia II*, 1 (*PG*, 12, 591); S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 3 (*PL*, 4, 455); S. Methodius, *Convivium*, orat. 1 (Marcel.) c. 1 (*PG*, 18, 35); Ps.-Clemens, *De virginitate*, 1 (*FPA*, 2, p. 1); *Constitutiones Apostolicae*, 2, c. 57 (*PG*, 1, 733; *FCA*, 2, c. 57, 165); S. Gregorius Nyssenus, *De Vita S. Macrinae* (*PG*, 46, 988); S. Ioannes Chrysostomus, *1 Tim.* 5, 9 (*PG*, 51, 323).

[11] Tertullianus, *De ovatione*, c. 22 (*PL*, 1, 1294); *De virginibus velandis*, c. 11, (*PL*, 2, 954); c. 13 (*PL*, 2, 956); c. 14 (*PL*, 2, 957); c. 15 (*PL*, 2, 959); Clemens Alexandrinus, *Stromatum*, 3, 2 (*PG*, 8, 1104); 25 (*PG*, 8, 1197); Origenes, *In Levit. hom.* 3, n. 4 (*PG*, 12, 428), *In Num, hom.* 23, n. 3 (*PG*, 12, 748), *In Epist. ad Rom.* 9, 37, (*PG*, 14, 1237); S. Cyprianus, *De habitu virginis*, 4, (*PL*, 4, 455); S. Ambrosius, *De institutione virg.*, c. 17 (*PL*, 16, 345); S. Nicetas, *De lapsu virginis*, c. 5 (*PL*, 16, 388), *Conc. Illiberit.* (n. 395), c. 13 (Mansi, 2, 8).

[12] *Pontificale Romanum*, *De benedictione et consecratione virginum*; S. Ambrosius, *De instit. virg.*, c. 17 (*PL*, 16, 345); *De virginibus*, 3, c. 1 (*PL*, 16, 231); S. Nicetas, *De lapsu virginis*, 5 (*PL*, 16, 387); S. Hieronymus, *Epist. 130*, n. 2 (*PL*, 22, 1108); *Sacramentarium Leonianum, 30 ad virgines sacras* (*PL*, 55, 129).

[13] Tertullianus, *De virginibus velandis*, cc. 14, 15 (*PL*, 2, 957, 959); S. Basilius, *Epist. 199*, c. 18 (*PG*, 32, 717); Innocentius, 1, *Epist. 2 ad S. Victricium*,

Vitae virginalis professio vigilanti severaque ascesi servabatur, simulque omnibus pietatis et virtutum exercitiis nutriebatur ac fovebatur. In prisca tam graecorum ac ceterorum orientalium quam latinorum Patrum doctrina, fidelis sane ac pulcherrima imago prostat et ob oculos ponitur Virginis christianae. In suis scriptis sive interna sive etiam externa, quae ad virginalem sanctitatem ac perfectionem spectare quovis modo poterant, diligentissime magnoque amore a Patribus illuminata ac vivide depicta fuerunt. [14]

Quousque christianarum Virginum angelica vivendi ratio, primo hoc suae historiae tempore, Patrum exhortationibus ac descriptionibus responderit, et quot altiorum heroicarum virtutum gemmis ornatam sese nobis ostendat, partim ex historicis documentis ac monumentis directo certoque tramite, noscimus, partim vero, non dubie, ex aliis etiam securis fontibus conicere imo et deducere nobis licet. [15]

Praesertim post concessam christianis hominibus pacem, Eremitis et Coenobitis praeeuntibus, consecrata Deo virginitas frequentius in dies consiliorum paupertatis strictiorisque oboedientiae expressa signataque professione compleri ac confirmari solebat. [16]

Mulieres virginitatem professae, quae iam prius ad vitam communem, ab hominum consuetudine quantum fieri poterat segregatam, tum ob solitudinis amorem, cum ob defensionem contra gravissima undique imminentia, in corrupta romana societate, pericula, conspiraverant, faventibus postea rerum adiunctis, satis cito, exemplum secutae immensae multitudinis Coenobitarum, ac relicta generatim

---

c. 13 (*PL*, 20, 478 s.); S. Gelasius I, *Epist. 14*, c. 20 (A. Thiel, *Epist. RR. Pontificum*, Brunsbergae, 1868, p. 373); *Codex Theodosianus*, 9, 25, 2; S. Ambrosius *De virginitate*, c. 5, n. 26 (*PL*, 16, 286), *De instit. virg.*, c. 17, 114 (*PL*, 16, 348)

[14] S. Polycarpus, *Epist. 5*, 3 (*FPA*, 1, 303); Tertullianus, *De virginibus velandis*, (*PL*, 2, 935); S. Cyprianus, *De habitu virginum*, (*PL*, 4, 451 ss.); S. Methodius, *Convivium*, orat. 1 (Marcel.) 1 (*PG*, 18, 35); S. Athanasius, *De virginitate*, 3 ss. (*PG*, 28, 253 ss.); S. Basilius, *Epist. 173*, (*PG*, 32, 648); *Constitutiones Apostolicae*, 8, c. 24 (*PG*, 1, 1122; *FCA*, 8, c. 24, 528); S. Ambrosius, *De virginibus*, 2, 2 (*PL*, 16, 220), 3, 1-4 (*PL*, 16, 231); S. Augustinus, *De sancta virginitate*, 31 ss. (*PL*, 40, 412 ss.).

[15] S. Cyprianus, *De habitu virginum*, 22 (*PL*, 4, 474); S. Ambrosius, *De virginibus*, 1, cc. 4, 5 (*PL*, 16, 203-205), c. 10 (ib. 16, 215); S. Augustinus, *De moribus catholicae Ecclesiae*, 1, c. 31, 68, c. 33, 70 (*PL*, 32, 1339 ss.).

[16] S. Augustinus, *Epist. 211*, cc. 5, 6 (*PL*, 33, 960); 15 (*PL*, 33, 964); S. Caesarius, *Regula ad virgines*, cc. 4, 11, 16, 19 (*PL*, 67, 1107, 1109, 1110; *Ed. Dom Morin G.*, 2 (1942) 101-105); S. Leander, *Regula*, 18 (*PL*, 72, 890); Anonymus, *Regula ad virgines*, c. 17 (*PL*, 88, 1066).

viris eremitica vitae ratione, coenobiticam vitam imitatae sunt atque in ipsa fere omnes se receperunt. [17]

Vitam communem latiore significatione acceptam, Ecclesia Virginibus generatim commendabat, sed vitam monasticam, per longa tempora, ne consecratis quidem Virginibus imponere stricte voluit, quas honoratas ut decebat, liberasque in saeculo reliquit. Attamen Virgines liturgice consecratae propriis in domibus vel in liberiore vita communi degentes semper rariores inveniebantur, usque dum pluribus locis de iure, ubique vero de facto extinctae fuerunt; quin imo, generatim non amplius restitutae, recentius etiam prohibitae fuerunt. [18]

* * *

Cum res ita se haberent, Ecclesia suam maternam convertit sollicitudinem erga illas praesertim Virgines, quae, optimam partem eligendo, [19] mundo plane vale dicebant, totamque christianam perfectionem, strictam paupertatem atque plenam oboedientiam virginitatis professioni addentes, in Monasteriis amplectebantur. Harum Virginum coenobiticam professionem, severioribus in dies clausurae legibus Ecclesia provide externe defendit. [20] Intrinsecus vero, ita ipsarum vitae rationem ordinavit, ut sensim sine sensu typum Monialis seu Sanctimonialis vitae contemplativae, sub rigida regulari

---

[17] S. Basilius, *Regulae fus.*, n. 35, *Regulae brev.*, 108-110 (*PG*, 31, 1004, 1156), *Epist. 55* (*PG*, 32, 402); S. Ambrosius, *De virginibus*, 1, c. 10, n. 59 (*PL*, 16, 215), *In Luc. 2*, nn. 8, 20, 21 (*PL*, 15, 1636, 1640); S. Epiphanius, *Adv. haereses*, 2, 67 (*PG*, 42, 174), *Exposit. fid. cath.*, 21 (*PG*, 42, 822); S. Hieronymus, *Epist. 22*, 17 (*PL*, 22, 404), 24, 3 (ib. 427), 66, 13, (ib. 646), 108, 19 (ib. 896), 130, 19 (ib. 1122); S. Augustinus, *De moribus cath. Eccl.* 1 c. 31, 68, c. 33, 70 (*PL*, 32, 1339 ss.); *Aeteriae peregrinatio*, 23, 2, 3 (W. Heraeus, Heidelberg, 1908, p. 27).

[18] *Conc. Carth. III* (a. 397), c. 33 (Mansi, 3, 885), *Conc. Aurelian. V* (a. 549), c. 19 (Mansi, 9, 133); Venantius Fortunatus, *Vita S. Radegundis*, c. 12 (*PL*, 88, 502); *Conc. Paris. V* (a. 614), c. 12-13 (Mansi, 10, 542); c. 13, C. 27, q. 1; *Conc. Aquisgr.* (a. 789), c. 39 (Mansi, 13, App. 3, 166); *Conc. Moguntin.* (a. 888) c. 26 (Mansi, 18, 71); *Conc. Lat. II* (a. 1139), c. 26 (Mansi, 21, 532); c. 25 C. 28, q. 2.

[19] Luc. 10, 42.

[20] S. Caesarius, *Regula ad virgines*, 1, 33, 34, 35 (*PL*, 67, 1107-1114; *Ed, Dom Morin* o. c. 101 ss.); *Conc. Lat. II* (a. 1139), c. 26 (Mansi, 21, 532), c. 25 C. 28, q. 2; Bonifacius VIII, *De statu regularium*, c. un. 3, 16 in 6º; *Conc. Trid. Sess. 25, De regularibus et monialibus*, c. 5; Pius V, *Circa Pastoralis*, 29 maii 1566, § 1 (Gasparri, *Fontes I. C.*, 1. n. 112); *Decori* 1 Febr. 1570 (Gasparri, *Fontes I. C.*, 1, n. 133); Benedictus XIV, *Salutare*, 3 ian. 1742, (Bull. Ben. XIV, I. p. 106).

disciplina, prorsus deditae, clare perspicueque in suis legibus atque religiosa ascesi delinearet. [21]

Postquam autem ineunte fere media aetate, Virginum consecratarum in saeculo commorantium vivendi forma penitus desiit, Sanctimoniales, numero, fervore, varietate supra modum auctae, antiquarum Virginum unicae, velut in solidum heredes earumque legitimae successores habitae sunt; [22] neque heredes ac successores tantum, sed traditi patrimonii fideles procuratrices argumentosaeque fautrices, quae quinque talentis ditatae, alia quinque superlucratae fuerunt. [23] Monumenta liturgica, canonica documenta, atque historica testimonia omne genus, scripta, insculpta, depicta, hanc Monialium originem ac dignitatem, merita sanctitatemque comprobant atque vindicant. [24]

Statum perfectionis, qui iam adeo solemniter receptus atque plene recognitus fuerat, ut perfectius usque publicam referret naturam, Moniales, per plura saecula ad exeuntem mediam aetatem — ut ex Decretalibus imo ex toto Corpore iuris canonici luculenter patet — solae inter mulieres cum Monachis et Canonicis regularibus exhibebant. [25]

Non paucis deinceps inde nec levibus evictis difficultatibus, prius Fratres omnes, qui vel Mendicantes, vel Hospitalarii, vel Redemptores, vel alio nomine nuncupabantur ac, post tria fere saecula, Cle-

---

[21] Cc. 11, 20-25, C. 18, q. 2; c. 8, *De statu monachorum et canonicorum regularium*, X, 3, 35; c. 2, *De statu monachorum et canonicorum regularium*, 3, 10 in Clem.; *Conc. Trid. Sess. 25, De regularibus et monialibus;* Clemens VIII, *C. Religiosae congregationes*, 19 iun. 1594 (*Bull. Rom.*, ed. Taurin., 10, 146); *Nullus omnino*, 25 iul. 1599 (*Fontes I. C.*, 1, n. 187); C. *Cum ad regularem*, 19 mart. 1603 (*Fontes* I. C., 189:) Gregorius XV, *Inscrutabili*, 5 febr. 1622 (*Bull. Rom.*, ed. Taurin., 12, 656); Innocentius XI, *Litt. Encycl.*, 9 oct. 1682 (Bizzarri. *Collectanea*, 2, p. 374); *C. Cum ad aures* (Ferraris, *Prompta Biblioth.*, v. *Eucharistia* n. 41); Benedictus XIV, *C. Pastoralis cura* 5 aug. 1748 (*Bul. Ben. XIV*, 2, 471).

[22] *Pontificale Romanum, De benedictione et consecratione virginum;* cfr. not. 12.

[23] Math. 25, 20.

[24] Honorius IV, *C. Ascendit fumus.*, 24 sept. 1285 (*Bull. Rom.*, ed. Taurin., 4, p. 83); *Conc. Trid. Sess. 25 De regularibus et monialibus*, c. 1; Pius IV, *Motu prop. De statu*, 5 apr. 1560 (*Bull. Rom.*, ed. Taurin. 7, 21); Pius V, *C. Decori*, 24 ian. 1570 (*Bull. Rom.*, ed. Taurin. 7, 808); Pius VI, *Quod aliquantulum*, 10 mart. 1791 (*Coll. Brevium atque Instructionum SS. DD. N. Pii P. VI*, 1800, p. 1, pag. 47; *Conc. Vat. Schema Constit. Ecclesiae*, c. 15 (*Coll. Lacensis*. 7, appendix, 575); Leo XIII, *Litt. Testem benevolentiae*, 22 ian. 1899 (*Acta Leonis XIII*, 19, 5); *Litt. Au milieu*, 23 dec. 1900 (*Acta Leonis XIII*, 20, 339).

[25] C. un. *De Statu Regularium* 3, 16 in 6°; c. 1, *De religiosis...* 3, 11- in Clem.; c. un. *De religiosis...* 3, 9 in Extravag. Comm.

rici quoque, qui regulares dicti fuerunt, inter veros religiosos et regulares, simul cum Monachis et Canonicis regularibus, recepti sunt; Moniales vero universae, tum illae quae antiquo monachismo seu vitae canonicali inhaerebant, cum illae quae in Fratrum mendicantium secundos Ordines cooptabantur, quod ad ius canonicum attinet, unicum, nobile et vetustum institutum prosequebantur eandemque religiosam vivendi rationem amplectebantur. [26]

Ad primas igitur usque mulierum Congregationes, quae vel saec. XVI vel XVII ortae sunt, Moniales eae tantum habebantur quae facto et iure vitam legitime religiosam profitebantur. Imo etiam post toleratas, et decursu temporis, prius facto et postea oeconomico etiam quodam iure receptas Congregationes, [27] Moniales tantum, usque ad Codicem Iuris Canonici promulgatum, stricto iure uti verae religiosae ac regulares admissae sunt. [28]

Quodsi hoc loco animum ad vitae monasticae penetralia convertere velimus, quis recensere et ponderare poterit perfectionis religiosae thesauros in Monasteriis absconditos? quis flores ac fructus sanctitatis, quos hi conclusi horti Christo Ecclesiaeque tulerunt? quis precationum efficacitatem, quis deditionis divitias, quis denique bona omne genus quibus Moniales Ecclesiam Matrem suam ornare, sustinere, confortare totis viribus satagerunt?

* * *

Sanctimonialium rigidus sane definitusque typus, in legum canonicarum et in ascesis paginis insculptus, ab innumeris Ordinibus, Monasteriis, Conventibus, quae in Ecclesia iugiter exstiterunt, facile, et, quoad ipsius praecipua lineamenta, etiam fideliter receptus fuit, atque per plura saecula tenaciter retentus. Ex hac communi fidelitate atque constantia, arcta compago in sacro Monialium Instituto exorta est, quae fortius quam omnium aliorum regularium sive reli-

---

[26] *S. C. Ep. et Reg. Bergom.*, 14 maii 1841, ad 16, III (Lucidi *De visitatione sacrorum liminum* 4a, II, n. 463); *Gerunden* 9 maii 1860, ad 2 (Bizzarri, *Collectanea*, 2, pag. 780, VI); *Albien.*, 23 iun. 1860, ad 14 (Bizzarri, l. c. p. 786; 16 sept. 1864 (Bizzarri, l. c. p. 744 ss.); *Rilievi circa gli Statuti della Cangr. dei Fratelli della S. Famiglia*, art. I, et 13 (Bizzarri, l. c. pp. 800, 803); *Normae secundum quas S. C. Ep. et Reg. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium*, 28 iun. 1901, art. 32.

[27] S. C. Ep. et Reg. dec. *Ecclesia Catholica*, 11 aug. 1889, (*ASS.*, 23, 634).

[28] Leo XIII, *C. Conditae a Christo*, 8 dec. 1900 (*Acta Leonis XIII*, 22, pp. 317-327); *Normae secundum quas S. C. Ep. et Reg. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium*, 28 iun. 1901.

giosorum utriusque sexus Institutorum, innovationibus quibuslibet restitit semper. Id, intra certos iustosque limites, merito ipsi vertendum esse non est ambigendum.

Haec, quam laudavimus, Monialium unitas minime ceterum obstitit quominus, et quod attinet ad ascesim et quod ad interiorem pertinet disciplinam, iam antiquitus diversae figurae varietatesque admitterentur, quibus Deus, mirabilis in sanctis suis, Ecclesiam Sponsam suam ditavit et decoravit. Quae Monialium varietates ex eiusdem generis varietate oriri videntur Ordinum ac Religionum virorum, quibus Monialium Ordines adiecti quodammodo fuerunt. Revera, vix non omnes Monachi, Canonici regulares, Mendicantes praecipue secundos Ordines instituere nitebantur, qui servata semper generali Monialium ratione, fere ut primi Ordines inter se diversi conspiciebantur. Pariter nonnulli Ordines Clericorum regularium et nonnullae Congregationes virorum proprii Instituti Monialium Ordines recentius condiderunt.

Monialium varietates, quas supra attigimus, sive Instituti historiam respicimus, sive communes eius interiores mutationes, dignissimae profecto sunt quae attente considerentur. Sane, ipsae, generali vitae contemplativae ratione incolumi atque firmis praecipuis receptae disciplinae normis ac principiis, novam veluti sanctitatis vim veteri Instituto compararunt.

Recentioribus temporibus, praesertim saeculo XVI abeunte, novae Monialium Ordinum formae inductae et ab Ecclesia pedetentim probatae fuerunt; ut ecce Institutum Sanctae Ursulae, Angelicarum, Congregatio Religiosarum Dominae Nostrae, Ordo Visitationis, Societas Dominae Nostrae, Moniales B. Mariae de Caritate [29] pluresque aliae. Hae novae fundationes dum, vel ab initio earum institutionis vel deinceps ad acceptandum Monialium commune ius vigens — ut vitam vere religiosam, unice tunc pro mulieribus recognitam, profi-

---

[29] Paulus V, C. *Inter universas*, 13 iun. 1612 (*Règle et Constitutions de l'Union Romaine de l'Ordre de Sainte Ursule*, 1936, p. 231-239); C. *Debitum Pastoralis*, 24 mart. 1614 (*l. c.*, p. 240-246); *Salvatoris et Domini*, 3 oct. 1616 (*l. c.*, p. 246-250); Urbanus VII, *Alias felicis*, 6 nov. 1626 (*l. c.*, p. 273); Paulus V, *Sacri Apostolatus*, 23 apr. 1618 (*Œuvres de Saint-François de Sales*, 1912, 18, p. 423); Paulus V, *Salvatoris et Domini*, 7 apr. 1607 (Instituto de la Compañía de Nuestra Señora, t. I, *Constituciones Pontificias y Reglas aprobadas*, Manresa, 1899, p. 7-14); Innocentius X, *Exponi nobis*, 28 sept. 1645 (*Bull. Rom.*, Ed. Taurin. 15, p. 403); Benedictus XIV, *In supremo*, 26 sept. 1741 (*Règle de Saint-Augustin et Constitutions pour les Religieuses de la Congregation de Notre-Dame de Charité du Bon Pasteur d'Angers*, 1836, p. 39-41).

teri valerent — adigebantur seu moraliter cogebantur, ipsius iuris renovationem diversis modis praeparabant.

Hae novae Monialium formae, etsi vitam contemplativam canonicam profitebantur, et strictam clausuram pontificiam, propriae rationi vivendi aptatam, ex sententiis tunc vigentibus aegre quidem sed sincere demum receperant, tamen quandoque divinum Officium recitandum non susceperunt. Multa vero apostolatus et caritatis opera quae cum suo sexu suoque statu iuridico consentanea habebantur, ipsae laudabili sollicitudine, ut sui muneris partes, fecerunt.

* * *

Annis volventibus, sive ob novorum Ordinum exemplum sive ob progressum Congregationum ac Societatum, quae cum vita perfectionis fecundam caritatis, auxilii, educationis exercitationem coniungere nitebantur, sive denique ob communem rerum atque idearum omne genus processum, non pauca Monasteria multorum Ordinum, qui vitam contemplativam unice ex instituto suo sectabantur, opera apostolatus, probante ac prudenter moderante Sancta Sede, pluribus in locis receperunt. [30].

Exinde sensim sine sensu obtinuit, ut commune Monialium Institutum non solum diversos Ordines cum propriis Regulis et Constitutionibus in se contineret, sed etiam profundior quaedam in ipso admitteretur divisio inter Ordines scilicet et Monasteria quae vitam solummodo contemplativam sequebantur atque Ordines ac Monasteria in quibus, sive ex peculiari constitutionis lege sive ex subsequentibus Apostolicae Sedis concessionibus, ad vitam contemplativam canonice probata apostolatus opera convenienter adiungebantur.

Nostro hoc tempore, totum Monialium Institutum, tum in iis Ordinibus ac Monasteriis, quae fideliter vitam tantum contemplativam hucusque obiverant, tum in iis maxime quae ex Ecclesiae praescripto vitam contemplativam amice cum operibus apostolatus sociabant, adiunctorum rerumque varietates ac mutationes non leviter persensit. Sane, cum hi Ordines educationis similibusque caritatis operibus vacent, quae sive ex inductis ubique moribus sive ex rerum publicarum interventu ita nunc exercentur ut vix compatibilia vel prorsus incompatibilia fiant cum aliquibus e classicis clausurae pontificiae regulis, huius clausurae normae, retenta ipsius communi ra-

[30] *Formulae S. C. de Religiosis*, N. 91.

tione, sapienter mitigari debuerunt, ut cum illis operibus componi possent; quod profecto Ecclesiae sanctae animorumque utilitas postulare videbatur, cum nisi ita factum fuisset, ea opera vel omnino suscipi non potuissent vel non ea saltem ratione. Neque quoad apostolicos Ordines solum, sed etiam quoad Ordines tantum contemplativos, temporum adiuncta, atque gravis egestas, qua saepe laborant, mitigationes seu largiores interpretationes quandoque exigere ac requirere visa sunt.

Hodie, ut exemplum proponamus, civium sensus, quem socialem appellant, vix ferret nimis arctam can. 601 interpretationem, ne cum de Monalibus quidem contemplativis agitur. Hinc Sancta Sedes, pluribus necessitatibus vel utilitatibus materne in dies largius providet, quae iuxta receptum olim iudicium non ita graves existimabantur, ut ob eas clausuram pontificiam infringere liceret vel ipsa eximere. Ceterum, domiciliorum securitas atque sanctitas, quae non unica quidem causa fuit pontificiae clausurae, sed varie pro temporum adiunctis, cum aliis causis ad ipsam constituendam et ordinandam contulit, hodie magis quam olim tecta sartaque est.

* * *

Summatim origine et fastis sacri Monialium Instituti propositis, opportunum ducimus in praesens accurate distinguere ipsius propria ac necessaria elementa, quae vitam Monialium contemplativam canonicam ut primum ac praecipuum earum finem directo afficiunt. Nativis hisce atque praecipuis lineamentis quibus figura canonica Monialium clare in iure definitur, alia magni momenti accedunt quae, etsi non sunt necessaria, eam tamen complent, cum satis apte publico Monialium fini respondeant ipsumque securum faciant. Aliqua vero in Monialium Instituto invenimus quae nec necessaria sunt nec eam complent, sed tantum externa atque historica sunt, cum scilicet ex adiunctis superiorum temporum, nunc valde mutatis, certo nascantur. Quando haec, vel iam non prosunt, vel maius bonum impedire valent, nulla speciali ratione servanda videntur.

Porro, firmis prorsus omnibus nativis ac potissimis venerandi Monialium Instituti elementis, quoad elementa alia, quae externa et adventicia censentur, illas caute prudenterque ad hodierna adiuncta accomodationes inducere decrevimus, quae Instituto eidem non modo maiorem decorem, sed pleniorem etiam efficacitatem tribuere poterunt.

Ad has Instituti Monialium temperatas accommodationes inducendas Nos movent, imo urgent, plenae quas habemus de re in singulis orbis partibus notitiae, certaque inde exorta cognitio gravis inopiae, in qua Moniales saepe, ne dicamus semper, versantur. Sane, non pauca exstant Monasteria quae, pro dolor! vix non fame, miseria, inedia pereunt; plura vero sunt quae, ob domesticas difficultates, duram, nec plerumque tolerabilem, vitam ducunt. Monasteria praeterea habentur quae, quamvis in egestate non vivant, cum tamen ab aliis quibuslibet Monasteriis seiuncta ac separata exsistant, non raro languescunt. Arctiores etiam clausurae leges non levibus saepe difficultatibus facilem viam sternunt. Postremo, crescentibus semper Ecclesiae animorumque necessitatibus, ac multiplici his subveniendi adiutrice omnium opera urgente, momentum advenisse videtur, in quo vita monastica, generatim etiam inter Moniales contemplationi deditas, cum moderata apostolatus participatione concilietur.

Quod Nostrum hac de re iudicium saepissime confirmarunt Ordinariorum locorum ac religiosorum Antistitum testimonia, quae ex nonnullis nationibus prorsus communi consensu ad Nos pervenerunt.

* * *

Ex iis quae infra in Statutis Monialium Generalibus decernuntur, aliqua hic illustrare iuvabit, ut regulas et iudicia inde proponamus ex quibus facile ac secure singula praescripta intelligi recte possint.

Et in primis, quoad vitam Monialium contemplativam hoc, quod iuxta mentem Ecclesiae semper viguit, firmum ac inviolatum servari debet: Monasteria omnia Monialium vitam contemplativam, ut primum atque praecipuum suum finem, canonice semper et ubique profiteri debere. Quam ob rem, labores et ministeria, quibus Moniales vacare possunt ac debent, talia esse oportet atque ita quoad locum, tempus, modum rationemque ordinanda ac disponenda sunt, ut vita vere et solide contemplativa, sive totius Communitatis sive singularum Monialium, salva non tantum sit sed iugiter alatur ac roboretur.

Praescripta concessionesque olim, urgentibus rerum adiunctis, pro aliquibus regionibus data, ex quibus vota solemnia in simplicia commutabantur, odiosam dispensationem (can. 19) secum ferre certo dicenda sunt; eo vel magis odiosam, quod notae praecipuae Monialium haec immunitas adversetur; nam vota solemnia, quae arctio-

rem ac pleniorem quam alia publica vota Deo consecrationem secum ferunt, notam canonice necessariam et potissimam Ordinum exhibent. Quapropter, cum diuturna experientia diversis in locis aperte constet sive Regularium virorum sive Monialium vota solemnia, etsi rerum publicarum iure ignorentur, facile nulloque negotio servari posse, pariterque securitati aliorum bonorum communium aliunde apte provideri, etsi persona iuridica, ut alicubi accidit, Religionibus et Monasteriis denegetur, in hoc iam ante non paucos annos merito S. Sedis leges actione simul conspirant, [31] ut odiosae de quibus diximus exceptiones restringantur et, quoad fieri possit, tollantur. Et revera Moniales non oportet honore, merito et gaudio privare vota solemnia ipsarum propria emittendi.

Ad tutiorem assequendam solemnis castitatis vitaeque contemplativae custodiam utque hortus conclusus Monasteriorum nullo mundi ausu penetrari, nullo astu insidiaque violari, nullo saeculari profanoque contactu turbari posset, sed verum animarum claustrum evaderet [32] in quo Moniales Deo liberius servire valerent, [33] Ecclesia sapienti ac vigilanti sollicitudine severiorem clausuram, tamquam institutum Monialium peculiare statuit, diligenter ordinavit atque gravibus pontificiis sanctionibus perpetuo communivit. Haec veneranda Monialium clausura, quae ex Auctoritate suprema a qua procedit atque ex sanctionibus quibus interius exteriusque defenditur pontificia appellatur, in Nostra hac Constitutione non solum, pro diversis adiunctis Monasteriorum, quae ipsi hucusque obstricta sunt, consulto ac solemniter confirmatur, sed caute ad illa etiam Monasteria extenditur, quae eadem adhucusque, ob legitime impetratas dispensationes, non obligantur.

Monasteria quae vitam unice contemplativam profitentur, neque intra domus religiosae terminos stabilia opera educationis, caritatis, recollectionis vel alia id genus admittunt, clausuram illam pontificiam retinebunt vel accipient, de qua in Codice agitur (can. 600-602), quaeque « *maior* » appellabitur.

Quoad vero Monasteria illa quae, sive ex instituto sive ex legi-

---

[31] Pius VII, *Breve ad ep. Tornac.* 24 iun. 1810 (Bizzarri, *Collectanea 2.* p. 738); *S. C. De Relig.*, 22 maii 1919 (AAS., 11 [1919], p. 240); *S. C. De Relig.*, 23 iun. 1923 (AAS., 15 [1923], p. 357); *S. C. de Relig.*, 6 febr. 1924 (AAS., 16 [1924], p. 96-101).

[32] Hugo de Folieto, *De claustro animae* (*PL*, 176, 1017).

[33] Innocentius IV, *ad Moniales S. Dominici de Im.*, 11 maii 1252 (*Bull. Ord. Praed. I.*, 1, p. 206).

timis S. Sedis praescriptis, vitae contemplativae exercitium quorundam ministeriorum cum ipsa consentaneorum intra monasticas ipsas aedes amice coniungunt, clausura pontificia, illis retentis quae eidem necessaria atque insita sunt, in nonnullis, quae vix vel ne vix quidem observari possunt, temperatur; in aliis vero, quae ad clausuram pontificiam Codicis non adeo necessaria censentur (can. 599, 604 § 2), apte completur. Haec clausura pontificia temperata atque hodiernis necessitatibus accommodata quae, ut ab antiqua rigidiore distinguatur, « *minor* » nuncupabitur, illis etiam Monasteriis concedi poterit quae, etsi vitam tantum contemplativam retineant, vota solemnia non habent vel nonnullis carent conditionibus quae ad maiorem clausuram pontificiam, iurisprudentia receptoque stilo Curiae merito requiruntur. Accurata horum omnium clausurae pontificiae minoris elementorum definitio infra, in Statutis Generalibus et in Instructionibus a S. Congregatione de Religiosis Nostra Auctoritate Nostroque nomine dandis, tradetur.

Quod spectat ad Monasteriorum Monialium autonomiam seu mutuam libertatem, ea hîc repetere opportunum ducimus et Monialibus applicare quae, consulto de Monachis dixeramus in Homilia habita die 18 septembris 1947 in patriarchali Basilica S. Pauli extra moenia, revoluto decimo quarto saeculo ab obitu S. Benedicti Nursiani. [34] Mutatis rerum adiunctis, plura iam suadent, ac non raro postulant, Monasteriorum Monialium consociationem, uti facilior ac convenientior officiorum distributio, utilis ac saepe necessaria religiosarum ab uno ad aliud Monasterium variis de causis ad tempus translatio, oeconomicum iuvamen, laborum coordinatio, observantiae communis defensio, aliaque id genus. Quod autem haec omnia fieri et obtineri valeant, quin necessariae autonomiae derogetur nec quomodolibet clausurae vigor enervetur vel recollectioni vitaeque monasticae severiori disciplinae damnum inferatur, tam ex amplissima experientia Congregationum Monasticarum virorum, quam ex non raris speciminibus Unionum ac Foederationum quae inter Moniales hucusque approbatae fuerunt, certe ac secure comprobatur. Ceterum Foederationum erectio et Statutorum quibus regi debeant approbatio, Sanctae Sedi reservatae manebunt.

Ad laborem, sive manuum sive animi, omnes, viris vel mulieribus minime exceptis qui vitae contemplativae vacant, non solum lex

[34] AAS., 39 (1947), pp. 454-455.

naturalis obligat, [35] sed paenitentiae etiam ac satisfactionis officium. [36] Labor praeterea generale est instrumentum quo animus, et a periculis servatur et ad altiora evehitur; quo nos, ut oportet, divinae Providentiae operam praebemus nostram tum in ordine naturae tum in ordine qui naturam excedit; quo opera caritatis exercentur. Labor denique norma est ac lex praecipua vitae religiosae, vel ab eius originibus, iuxta illud « ora et labora ». Sane huius vitae disciplina, magna ex parte in praecipiendo, ordinando ac perficiendo labore posita fuit semper. [37]

Monialium labor, si aeterna respiciantur, talis esse oportet, ut quae illum suscipit, in primis sancto proposito suscipiat; ut eadem praesentem Deum saepe cogitet; ut illum ex oboedientia capiat, cum suique voluntaria castigatione coniungat. Quod si labor ita sustinebitur, ille potens ac constans erit omnium virtutum exercitatio, atque pignus suavis efficacisque coniunctionis vitae contemplativae cum activa, ad exemplum Nazarethanae Familiae. [38]

Si vero monasticus labor vel quoad naturam vel quoad disciplinam aestimetur, e Regulis, Constitutionibus traditisque singulorum Ordinum consuetudinibus non tantum viribus Monialium eum par esse oportet, sed ita etiam disponi ac perfici, ut, pro temporum cursu rerumque adiunctis, et Monialibus necessarium victum quaerat, et ad egenorum, ad hominum societatis, ad Ecclesiae utilitatem conferat. [39]

Cum christianae vitae perfectio in caritate specialiter posita sit, [40] cumque caritas qua Dominum unice super omnia diligere debemus omnesque in Ipso, una eademque vere sit, Mater Ecclesia ab omnibus Monialibus quae canonice contemplationem profitentur, cum Dei perfecto amore, perfectam erga proximos caritatem exigit; cuius caritatis suique status gratia, religiosi viri religiosaeque mulieres Ecclesiae omniumque indigentium necessitatibus totos se devotos persentiant oportet.

Moniales ergo omnes probe sciant ipsarum vocationem plene

---

[35] Gen 2, 15; 3, 19; Iob. 5, 7; 2 Thes. 3, 10.
[36] Gen. 3, 19.
[37] AAS., l. c., p. 453.
[38] Matth. 13, 55; Marc., 6, 3.
[39] Eph. 4, 28.
[40] Ioan. 4, 16; Col. 3, 14; S. Thomas 2, 2, q. 184, a. 1.

totamque apostolicam esse, [41] nullis locorum, rerum, temporum limitibus circumscriptam, sed ad omnia, semper et ubique sese porrigentem, quae aut ad Sponsi honorem aut ad animorum salutem quovis modo spectant. Haec vero universalis apostolica Monialium vocatio nulla re impedit quominus Monasteria suis precibus et totius Ecclesiae et singulorum hominum vel coetuum necessitates commendatas habeant.

Communis omnium Monialium apostolatus, quo divini Sponsi sui honorem zelare [42] et universae Ecclesiae omniumque christifidelium bonum provehere debent, his tribus praecipue veluti instrumentis utitur:

1° exemplo christianae perfectionis; cum earum vita, licet sine verbis, alte tamen loquatur et continuo ad Christum atque ad christianam perfectionem fideles trahat, et bonos Christi milites [43] ad legitimum certamen ut vexillum excitet alliciatque ad coronam; [44]

2° precatione, tum publice Ecclesiae nomine, septies in die solemniter canonicis horis ad Deum fundenda, tum etiam privatim perenniter Deo omnibus formis offerenda;

3° devovendi se studio, ita ut afflictationibus, quae ex vita communi fidelique regulari observantia oriuntur, alia propriae abnegationis exercitia sive ex Regulis ac Constitutionibus praescripta sive prorsus voluntarie suscepta, addantur, quibus generose illa impleantur « quae desunt passionum Christi Iesu, pro corpore Eius, quod est Ecclesia ». [45]

Postquam Monialium Instituti historicos fastos illustravimus accurateque descripsimus quibus idem terminis cum hodiernis vitae necessitatibus componi possit, iam generales normas tradere putamus iuxta quas ad rem compositio illa adducenda sit. Totam Constitutionem atque Statuta Generalia quoad omnes vel iam factas vel faciendas Monasteriorum Foederationes et quoad singula Monasteria, S. Congregatio de Religiosis ad effectum adducet; quae Nostra

---

[41] Pius X, Epist. *ad Praepositum Gen. et universum Ordinem Fratrum Carmelitarum Excalceatorum, tertio pleno saeculo ab honoribus coelitum S. Theresiae tributis*, AAS., 6 [1914], p. 139, 142; Pius XI, Const. Apost. *Umbratilem*, AAS., 16 [1924], p. 385-386, 389; Pius XII, Litt. Enc. *Mystici Corporis*, AAS., 35 [1943]; pag. 241, 245.

[42] *Off. S. Theresiae Virg.*, die 15 Oct.

[43] Tim. 2, 3.

[44] 2 Tim. 4, 8.

[45] Col. 1, 24.

Auctoritate, per instructiones, declarationes, responsa aliaque id genus documenta, illa omnia peragere poterit, quae ad Constitutionem diligenter atque efficaciter inducendam atque ad Generalia Statuta fideliter prompteque servanda spectant.

STATUTA GENERALIA MONIALIUM

Art. I

§ 1. Monialium nomine in hac Constitutione, ad normam iuris (c. 488, 7°) veniunt, praeter religiosas votorum solemnium, illae etiam quae vota simplicia, perpetua vel temporaria, professae sunt in Monasteriis in quibus vota solemnia vel actu nuncupantur vel ex instituto emitti deberent; nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud certo constet.

§ 2. Legitimo Monialium nomini (c. 488, 7°) et iuris Monialium applicationi minime officiunt: 1) *professio simplex* in Monasteriis legitime emissa (§ 1); 2) *clausura pontificia minor* quae Monasteriis sit praescripta vel rite concessa; 3) *operum apostolatus exercitium*, quod cum vita contemplativa coniunctum sit, sive ex instituto a S. Sede pro aliquibus Ordinibus probato et confirmato, sive ex legitimis S. Sedis pro nonnullis Monasteriis praescripto aut concessione.

§ 3. Apostolica haec Constitutio iuridice non respicit: 1) Congregationes religiosas (c. 488, 2°) Sororesque ipsarum sodales (c. 488, 7°), quae ex instituto vota tantum simplicia nuncupant; 2) Societates mulierum in comuni ad instar religiosarum viventium earumque sodales (c. 673).

Art. II

§ 1. Peculiaris ratio vitae religiosae monasticae, quam Moniales fideliter sub rigida regulari disciplina colere debent, et ad quam ab Ecclesia destinantur, est vita contemplativa canonica.

§ 2. Vitae contemplativae canonicae nomine intelligitur non illa interna et theologica ad quam animae omnes in Religionibus imo et in saeculo viventes invitantur, quamque apud se singulae ducere ubique valent; sed exterior disciplinae religiosae professio quae, sive ex clausura, sive ex pietatis, orationis mortificationisque exercitiis, sive denique ex laboribus quibus Moniales incumbere de-

bent, in interiorem contemplationem ita ordinatur, ut eiusdem studio tota vita totaque actio et facile valeat et efficaciter debeat imbui.

§ 3. Si vita contemplativa canonica sub rigida regulari disciplina habitualiter servari non possit, character monasticus nec concedendus est nec, si iam habeatur, retinendus.

Art. III

§ 1. Vota religiosa solemnia, ab omnibus Monasterii sodalibus vel ab una saltem ipsarum classe nuncupata, praecipuam notam efficiunt ex qua Monasteria mulierum, non inter Congregationes religiosas sed inter Ordines regulares iure numerantur (c. 488, 2°). Religiosae autem in his Monasteriis professae omnes, Regularium appellatione in iure, ad normam c. 490, veniunt, atque non Sororum sed Monialium proprio nomine vocantur (c. 488, 7°).

§ 2. Monasteria omnia, in quibus vota tantum simplicia nuncupantur, votorum solemnium instaurationem impetrare poterunt. Quinimmo, nisi prorsus graves obsint rationes, eadem iterum suscipere curabunt.

§ 3. Solemnes antiquae formulae consecrationis Virginum, quae in Pontificali Romano habentur, Monialibus reservantur.

Art. IV

§ 1. Severior Monialium clausura, quae pontificia dicitur, firmis semper ac pro omnibus Monasteriis iis notis quae eidem quasi naturales sunt, duplex in posterum distinguetur: *maior* et *minor*.

§ 2. 1° Clausura pontificia *maior*, illa scilicet quae in Codice describitur (cc. 600-602), hac Nostra Apostolica Constitutione plane confirmatur. Sacra Congregatio de Religiosis, Nostra Auctoritate, declarabit quas ob causas dispensatio a clausura maiori concedi possit, ut, rei natura incolumi, nostri temporis adiunctis aptius eadem accommodetur.

2° Clausura pontificia maior, salvo § 3, 3°, in omnibus Monasteriis vigere ex regula debet, quae vitam contemplativam unice profitentur.

§ 3. 1° Clausura pontificia *minor* illa ex antiqua clausura Monialium retinebit, illisque sanctionibus defendetur, quae ad ipsius naturalem rationem conservandam ac vindicandam necessaria in Instructionibus S. Sedis expresse definiuntur.

2° Huic pontificiae minori clausurae obnoxia sunt Monasteria Monialium votorum solemnium quae, sive ex instituto sive ex legitima concessione, ita ministeria cum extraneis suscipiunt, ut plures religiosae et notabilis domus pars habitualiter in haec ministeria incumbant.

3° Pariter, saltem huius clausurae praescriptis subiici debent omnia et singula Monasteria, etsi unice contemplativa, in quibus vota tantum simplicia nuncupantur.

§ 4. 1° Clausura pontificia maior vel minor, necessaria condicio habenda est, non solum ut vota solemnia emitti possint (§ 2) sed etiam ut illa Monasteria, in quibus vota simplicia nuncupantur (§ 3), ut vera Monasteria Monialium ad normam c. 488, 7° in posterum habeantur.

2° Si regulae clausurae pontificiae, saltem minoris, observari plerumque non possint, vota solemnia quae habeantur adimenda sunt.

§ 5. 1° Clausura pontificia minor, quoad illas praesertim notas in quibus a clausura Congregationum vel Ordinum virorum distinguitur, observanda est in locis ubi Moniales vota solemnia non nuncupant.

2° Si atuem certo appareat in aliquo Monasterio clausuram saltem minorem ex more servari non posse, Monasterium illud in domum vel Congregationis vel Societatis mutandum erit.

Art. V

§ 1. Ecclesia ad orationem publicam, quae eius nomine, sive in choro (c. 610, § 1) sive privatim (c. 610, § 3), Deo funditur, solas Moniales inter mulieres Deo sacras deputat; easque ex regula ad normam suarum Constitutionum, huic orationi horis canonicis cotidie persolvendae graviter obstringit.

§ 2. Omnia Monialium Monasteria singulaeque Moniales vota solemnia vel simplicia professae, Officium divinum in choro ad normam c. 610, § 1 et suarum Constitutionum, ubique recitare tenentur.

§ 3. Iuxtaa c. 610, § 3 Moniales, quae a choro abfuerunt, si vota solemnia non nuncupaverint, ad privatam horarum recitationem, nisi aliud expresse praescribant Constitutiones (c. 578, 2°), restricte non tenentur; tamen non solum Ecclesiae mens est, ut supra diximus (art. IV), ut vota Monialium solemnia ubique instaurentur, sed etiam, si ad tempus instaurari non valeant, ut Moniales vota perpetua simplicia loco solemnium professae, pensum Officii divini fideliter absolvant.

§ 4. Missa conventualis in omnibus Monasteriis Officio diei respondens, secundum rubricas, quoad fieri possit celebrari debet (c. 610, § 2).

Art. VI

§ 1. 1° Monialium Monasteria, secus ac aliae religiosae mulierum domus, ex Codice et ad ipsius normam sui iuris sunt (c. 488, 8°).

2° Antistitae singulorum Monasteriorum Monialium in iure Superiores maiores sunt, omnibusque facultatibus donantur quae Superioribus maioribus competunt (c. 488, 8°), nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliquae ad viros tantum attineant (c. 490).

§ 2. 1° Ambitus condicionis *sui iuris* seu autonomiae quam vocant Monasteriorum Monialium et iure communi et iure peculiari definitur.

2° Tutelae iuridicae, quam ius sive Ordinariis locorum sive Superioribus regularibus quoad singula Monasteria concedit, neque ex hac Constitutione neque ex Foederationibus Monasteriorum a Constitutione permissis (art. VII) atque eius auctoritate inductis, quovis modo derogatur.

3° Iuridicae relationes singulorum Monasteriorum cum Ordinariis locorum vel Superioribus regularibus, ex iure communi atque ex iure peculiari regi pergent.

§ 3. Hac Constitutione nullo modo definitur utrum singula Monasteria Ordinarii loci potestati obnoxia sint an, intra terminos iuris, de ea sint exempta et Superiori regulari subiaceant.

Art. VII

§ 1. Monasteria Monialium non solum sui iuris sunt (c. 488, 8°), sed etiam iuridice distincta atque in invicem independentia, nullis vinculis praeter quam spiritualibus ac moralibus, inter se unita ac devincta, etsi eidem primo Ordini vel religioni iure sint subiecta.

§ 2. 1° Monasteriorum mutuae libertati, potius facto receptae quam iure impositae, nullo modo officit Foederationum constitutio; neque eae Foederationes haberi debent ut iure prohibitae vel quomolibet naturae et finibus vitae religiosae Monialium minus consentaneae.

2° Monasteriorum Foederationes quamvis regula generali non praecipiantur, tamen a Sede Apostolica valde commendantur non

solum ad mala et incommoda praecavenda quae ex plena separatione oriri possunt, sed etiam ad regularem observantiam vitamque contemplativam provehendam.

§ 3. Constitutio cuiuslibet formae Foederationis Monasteriorum Monialium vel Confoederationis Foederationum Sedi Apostolicae reservatur.

§ 4. Omnis Foederatio seu Confoederatio suis legibus a S. Sede probatis, ordinari ac regi necessario debet.

§ 5. 1° Salvis art. VI, §§ 2, 3, et salva praecipua autonomiae ratione supra definita (§ 1), nihil vetat quominus in Foederationibus Monasteriorum ineundis, ad exemplum nonnullarum Congregationum monasticarum et Ordinum sive Canonicorum sive Monachorum, quaedam huius autonomiae inducantur aequae condiciones et intermissiones, quae necessariae vel magis utiles videantur.

2° Formae tamen Foederationis quae praedictae autonomiae de qua diximus (§ 1) contrariae videantur et ad rationem regiminis centralis accedant, S. Sedi speciali modo reservantur, nec sine expressa Ipsius concessione institui possunt.

§ 6. Foederationes Monasteriorum ex fonte unde proveniunt atque ex Auctoritate a qua directe dependent et reguntur, sunt iuris pontificii ad normam iuris canonici.

§ 7. S. Sedes immediatam vigilantiam et auctoritatem, prout casus ferat, in Foederationem exercere poterit per aliquem Adsistentem religiosum, cuius munus erit non tantum S. Sedem repraesentare sed etiam conservationem genuini spiritus proprii Ordinis fovere et Superiorissas in recto ac prudenti Foederationis regimine opera et consilio adiuvare.

§ 8. 1° Statuta Foederationis non solum praescriptis normis a S. Congregatione de Religiosis Nostra Auctoritate elaborandis, sed etiam naturae, legibus, spiritui et traditionibus sive asceticis sive disciplinaribus sive iuridicis et apostolicis proprii Ordinis, conformentur oportet.

2° Foederationum Monasteriorum praecipuus finis est fraternum adiutorium sibi mutuo praestare, non solum in spiritu religioso ac in regulari monastica disciplina fovendis, sed etiam in rebus oeconomicis provehendis.

3° Si casus ferat, peculiares normae in approbandis Statutis tradendae sunt, quibus moderari oporteat facultas et moralis obligatio petendi ac mutuo sibi concedendi Moniales, quae tum ad regimen Monasteriorum, tum ad institutionem novitiarum in communi

novitiatu pro omnibus vel pro pluribus Monasteriis erigendo, tum denique ad aliis moralibus vel materialibus Monasteriorum aut Monialium necessitatibus providendum, necessariae existimentur.

Art. VIII

§ 1. Labor monasticus, cui etiam Moniales vitae contemplativae incumbere debent, Regulae, Constitutionibus, traditionibus singulorum Ordinum debet esse pro viribus consentaneus.

§ 2. Labor ita ordinari debet ut, simul cum aliis rationibus ab Ecclesia probatis (cc. 547-551, 582), et cum subsidiis a Divina Providentia suppeditatis, securam reddat ac convenientem Monialium substentationem.

§ 3. 1° Ordinarii locorum, Superiores regulares et Superiorissae Monasteriorum ac Foederationum, omnem tenentur diligentiam adhibere ut necessarius, adaequatus ac proficuus labor numquam Monialibus desit.

2° Moniales vero ex conscientiae officio tenentur, non solum ad sibi honeste frontis sudore panem quo vivant, ut monet Apostolus (II Thess., III, 10) lucrandum, sed etiam ad sese, prout tempora exigunt, in dies ad diversa opera habiliores reddendas.

Art. IX

Moniales omnes ut divinae apostolicae vocationi fideles inveniantur, non tantum generalia monastici apostolatus instrumenta adhibere debent, sed praeterea sequentia observare curabunt.

§ 1. Moniales quae in propriis Constitutionibus seu legitimis praescriptis specialis apostolatus opera definita habent, ad normam Constitutionum seu Statutorum ac praescriptionum sese fideliter eisdem dare ac consecrare tenentur.

§ 2. Moniales quae vitam unice contemplativam profitentur:

1° si in propriis traditionibus aliquam externi apostolatus specialem formam acceptam habeant vel habuerint, illam hodiernis necessitatibus aptatam, salva semper ipsarum vita contemplativa, retineant fideliter, et si perdiderint, eam restituere diligenter curent. Si vero circa adaptationem aliquod dubium remaneat, S. Sedem consulant;

2° ex adverso, si vita pure contemplativa neque ex Ordinis probatis Constitutionibus neque ex traditione externo apostolatui

hucusque coniuncta iugi constantique ratione fuerit, tunc nonnisi in casibus necessitatis et per limitatum tempus, in illis apostolatus formis singularibus praesertim seu personalibus, occupari poterunt aut, ex caritate saltem, debebunt, quae cum vita contemplativa, prout in Ordine servatur, iuxta criteria a S. Sede figenda, compatibiles videantur.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eamdem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesima prima mensis Novembris, Praesentationi B. Mariae V. sacra, anno iubilari millesimo nongentesimo quinquagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.* vol. XXXXIII (1951) pag. 5-21).

N. B. - *In sequenti fasciculo edentur* Adnotationes *S. Pugliese super hac Const. Apost. necnon super Instr. relativa S. C. de Religiosis* (cfr. infra pag. 91-99).

DE INSTITUENDO DIE PRO SANCTA INFANTIA

Dilecto Filio Nostro Petro S. R. E. Presb. Card. Fumasoni-Biondi Sacri Consilii catholicae propandae Fidei Praefecto.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Praeses Consilii Pontificio Operi a Sancta Infantia praepositi, officiosis haud ita pridem datis litteris, Nos demisse instanterque rogavit ut, quemadmodum sacris Missionibus provehendis dies quotannis assignatus est, sic dies pariter singulis annis destinaretur ad idem Pontificium Opus cui ipse digne praeest, admotis ad Deum precibus ac collata stipe promovendum. Nobis placuit admodum susceptum ejusmodi propositum, atque adeo opportunum ducimus hisce obsecundare votis atque huic postulationi benignissime concedere. Futurum enim confidimus ut, hac re ubique in usum pro viribus deducta, et Pontificium Opus a Sancta Infantia latius cotidie cognoscatur in debitaque habeatur aestimatione, et publice indictis supplicationibus corrogatisque largitionibus haud parum accipiat incrementi. Id quidem summopere Nobis cordi est, cum probe noscamus in regionibus illis, in quas Evangelii praecones christianum nomen christianumque cultum inferunt, ingentem haberi infantium puerorumque multitudinem, cujus occurrere necessitatibus tam necessarium est, quam quod maxime. Parvulos derelictos caritate summa excipere, eos catholicorum more educare atque enutrire, lustrali aqua rite abluere atque expiare, litteris exercendisque artibus erudire, evangelica virtute conformare, eosdemque cives reddere christiano civilique nomine dignos: haec munia pro facultate exsequenda Pontificium hoc Opus laudabili consilio laudabilique nisu suscepit. Quamobrem, si haec pariter omnia christifideles omnes precando elargiendoque adjuverint, rem profecto fecerint, quam Nos summopere commendamus, et quae eis, ut confidimus uberrima a Deo conciliabit caelestia munera. Faveas igitur, Dilecte Fili Noster, haec vota Nostra Nostramque voluntatem cum locorum Ordinariis aptiore, quo putaveris, modo communicare; ita quidem ut opportunae praestituantur normae, quibus haec eadem vota ac proposita ad rem feliciter deducantur.

Interea vero supernarum gratiarum auspicem Nostraeque benevolentiae testem, cum tibi, Dilecte Fili Noster, tum iis, qui Pontificio huic Operi suam sollertem navant operam iisque singulis universis, qui ad hanc causam promovendam eo praesertim die, qui statuetur conferent, Apostolicam Benedictionem amantissime imimpertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die IV mensis Decembris, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.* vol. XXXXIII (1951) pag. 88-89).

ADNOTATIONES

Ex tribus Operibus Pontificalibus pro Missionibus solum Pontificale opus a S. Infantia dependet a Consilio Generali, quod Parisiis exstat. Cum in quibusdam regionibus Opus a S. Infantia non omnes pari amore prosequebantur, Praeses parisiensis preces Augusto Pontifici obtulit ut quotannis peculiaris ad preces Deo fundendas colligendamque stipem constitueretur dies in emolumentum Sanctae Infantiae Operis. Summi Pontificis voluntatem Cardinalis Praefectus S. C. de Propaganda Fide communicavit cum Nuntiis et Delegatis Apostolicis per litteras diei 14 mensis decembris 1950, quibus normae practicae dantur pro celebrando Die Sanctae Infantiae [1].

---

[1] S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

E Civitate Vaticana, 14 decembris 1950.

Prot. N. 5205/50

Excellentissime ac Rev.me Domine,

Honori duco Te certiorem facere ab Augusto Pontefice, per litteras die 4 decembris vertentis anni ad me datas, Praeside Pontificii Operis a S. Infantia, cuius Ipse Summus Pontifex Proctector esse dignatur, suadente atque enixe postulante, statutum esse ut quotannis, quemadmodum Missionibus provehendis felici cum sucessu certa dies destinata est, ita quoque in emolumentum Sanctae Infantiae Operis, quod in catholicis nationibus tum pueruli tum eorum parentes praecipuo prosequuntur amore, peculiaris ad preces Deo fundendas colligendamque stipem constituatur dies.

Cum autem Summus Pontifex in illis, quas diximus, litteris mihi, ut Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, benigne mandaverit, ut voluntatis eius propositum in effectum adducatur, per praesentes illud Tibi nuntiare satago, quo citius singulis locorum Ordinariis, Tuae jurisdictioni subiectis, innotescendum cures.

Augustus enim Pontifex, quamquam consiliis, quae mutuo consensu Or-

Cum, vero, Dies huiusmodi celebrandus sit tempore quod a Nativitate D. N. J. C. ad Purificationem B. M. Virginis decurrit, Epiphaniae tamen die reservato collectioni pro captivis Africae, verba Summi Pontificis ita intelligenda sunt ut mos antiquus coadunandi puerulos, die quodam temporis natalitii, ad preces Iesu Infanti fundendas et stipem corrogandam pro pueris infidelibus, efficacius promoveatur ab omnibus. Ubi, vero, ad superiorem consuetudinem Dies Sanctae Infantiae praesertim in scholis puerorum et in ecclesiis iam celebratur, nulla immutatio in praxim deducenda est. Qua de causa Dies Sanctae Infantiae nullo modo dimitiendus est eadem ratione ac Dies Missionalis pro missionibus qui celebratur mense octobri cuiusque anni.

In litteris Cardinalis Praefecti haec verba scripta videmus: « Oblationes autem quotannis perceptae ad Directorem Pontificii Operis a Sancta Infantia, *qui in quavis natione a Praeside Pontificii Operis Propagationis Fidei diversus erit, dirigentur* ». Norma praescripta non est absolute intelligenda et ob particularia locorum temporumque adiuncta, quae facile ubique obveniunt ut modum sumptibus statuatur, nihil prohibet quominus Director Nationalis Pontificalium Operum a Propagatione Fidei et a Sancto Petro Apostolo pro clero indigena idem sit ac Director Nationalis Pontificii Operis a Sancta Infantia. Quod fit in plurimis nationibus et etiam in Italia, cuius Directio Nationalis Pontificalium Operum pro Missionibus sedem habet in eisdem aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

Xaverius Paventi

---

dinarii inierint de die praefinienda, se libenter accessurum significavit, tempus tamen, quod a Natjvitate D. N. J. C. ad Purificationem B. M. V. decurrit, maxime idoneum censet, cui celebratio illa assignetur, Epiphaniae tamen die reservato collectioni pecuniarum pro captivis Africae, prout Leonis XIII, f. r., litterae die 20 novembris a. 1890 datae jusserunt.

Oblationes autem quotannis perceptae ad Directorem Pontificii Operis a Sancta Infantia, qui in quavis natione a Praeside Pontificii Operis Propagationis Fidei diversus erit, dirigentur, et ab eo ad Consilium Centrale praelaudati Operis a Sancta Infantia, quod Lutetiae Parisiorum sedem habet et quod ipsam collectam pecuniam singulis Missionibus, juxta suas cuiusque necessitates distribuet.

Tuae igitur prudentiae et caritati committitur, ut novum hoc Summi Pontificis praescriptum, quod unice in incrementum cedit Missionum, fructuum copiam, quae in omnium votis est, feliciter afferat.

Interim, caeli favores a Divino Infante Tibi ominans, grato jam nunc corde et summa cum observantia subsignor

Excellentiae Tuae Reverendissimae
P. Card. Fumasoni-Biondi
Praefectus S. Congregationis « de Propaganda Fide ».

SUPREMA SACRA CONGREGATIO SANCTI OFFICII

DECRETUM

Feria IV, die 20 *decembris* 1950

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione utrum liceat catholicis nomen dare Associationi, quae vulgo nunucupatur « *Rotary Club* ».

E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, in Plenario Consessu Feriae IV, diei 20 decembris 1950, respondendum decreverunt:

« Clericis non licere nomen dare Associationi « *Rotary Club* » vel eiusdem coetibus interesse; laicos vero hortandos esse ut servent praescriptum can. 684 C. I. C. ».

Et die 26 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. PIUS divina Providentia Papa XII in audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit atque publicari iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 11 ianuarii 1951.

MARINUS MARANI
Supremae Sacrae Congreg. S. Officii Notarius

(*A.A.S.* vol. XXXXIII (1951) pag. 9).

N. B. - *In sequenti fasciculo edentur* Adnotationes *F. Pellegrini S.J. super hoc Decreto.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECLARATIO

Plures abhinc menses in Republica Cecoslovacha multis iisque inauditis modis in Ecclesiae iura invasum est et in ipsas ecclesiasticas personas inique est impetitum: Ordinarii etenim locorum a suis muneribus impediti sunt; eorum pastoralia iura usurpata; ipsa officia Curiarum seu Ordinariatuum necnon beneficia ecclesiastica intrusis quibusdam personis sunt collata, laicorum arbitrio sese dioecesium regimini immiscere praesumentium.

Multis insuper Clericis et Religiosis libertas adempta est; nonnulli Episcopi, impio ausu, ad iudicem laicum tracti et in vincula sunt coniecti.

Novissime autem Pragensis Metropolita Excellentissimus P. D. Josephus Beran, iamdiu captivus in aedibus episcopalibus detentus et ab exercitio iurisdictionis penitus impeditus, nequissime deportatus est a sua Sede et Archidioecesi.

Contra patrantes huiuscemodi delicta plures extant Sacri Canones, quibus ii omnes excomunicatione, pro casuum varietate, simpliciter vel speciali modo Apostolicae Sedi reservata, ipso facto incurrenda, plectuntur:

a) qui ad iudicem laicum traxerint Episcopum (can. 2341);

b) qui violentas manus in personam Archiepiscopi vel Episcopi iniecerint (Can. 2343 § 3);

c) qui directe vel indirecte impediverint exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem (Can. 2334 n. 2);

d) qui contra legitimas ecclesiasticas Auctoritates machinantur aut earum potestatem quomodocumque conantur subvertere (Decr. S. C. Concilii diei 29 Junii 1950: A. A. S.: Vol. XXXXII, anno 1950; pag. 601);

e) qui ecclesiasticum officium vel beneficium vel dignitatem sine institutione vel provisione canonica, ad normam Ss. Canonum facta, occupant vel in eadem sinunt illegitime immitti, vel eadem retinent (ibidem).

Proinde Sacra Congregatio Consistorialis declarat illos omnes, qui ad memorata delicta patranda vel physice vel moraliter concurrerint, aut eorumdem participes, ad normam can.

2209 §§ 1-3, fuerint, excommunicationes supra relatas incurrisse eisque subiectos permansuros donec ab Apostolica Sede absolutionem obtinuerint.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 17 martii 1951.

Fr. A. J. Card. Piazza
Episcopus Sabinen. et Mandelen. a Secretis

L. ✠ S. J. Ferretto. *Adsessor*

(*A.A.S.* vol. XXXXIII (1951) pag. 173).

ADNOTATIONES

Statim ac in Republica Cecoslovacha communismi asseclae mense februario 1948 violenter potiti sunt rerum, crudelis ac methodica persecutio contra Catholicam Ecclesiam variis multisque modis illata fuit.

Etenim mense iunio 1949 sub ductu civilis Gubernii costituta fuit sic dicta « Actio Catholica », quae verius anti-catholica dicenda erat, quatenus Clerum ac fideles ab oboedientia eorumdem legitimorum Pastorum subducere conabatur. Quod cum obtinere non potuissent auctoritates communistici regiminis cecoslovachi episcopos catholicos residentiales angariare coeperunt, eos in primis a pastorali ministerio exercendo impedientes tam moraliter quam physice, eosdem in episcopiis quasi captivos detinentes ac vigilantes ita ut cum sacerdotibus ac fidelibus suis haud communicare iidem possent.

Insuper nonnulli Episcopi catholici residentiales in vincula coniecti sunt. Ita Tribunal Civile Bratislavense processu summario, qui initium habuit die 10 ianuarii 1951 et conclusus fuit die 15 eiusdem mensis, tres Episcopos ad carcerem damnavit; et quidem Exc.mum Joannem Vojtassak, Episcopum Scepusien. (annos natum 73) ad 24 annos detentionis (et ideo ad vitam); Paulum Gojdič, Episcopum Fragopolitanum Ruthenorum, ac Michaëlem Buzalka, Episcopum Auxiliarem Administratoris Apostolici Tirnaven ad vitam. Item in carcerem detrusus fuit Exc.mus Basilius Hopko, Episcopus Auxiliaris Ep. Fragopolitani.

Praeterea iam a mense iunio 1949 Gubernium Cecoslovachum suos officiales communistas in Curias dioecesanas intrusit. Attamen huiusdem methodus tam aperte illegalis ad effectus a dicto Gubernio speratos haud pervenit. Hinc idem Gubernium, iuxta iniquas leges anti-ecclesiasticas mensis octobris 1949, aliam methodum adhibere

coepit, quosdam sc. sacerdotes, ab Auctoritate Ecclesiastica iam excommunicatos vel saltem Gubernii communistici servos, uti dioecesium administratores vel vicarios generales arbitrarie ac illegittime imponens.

Ita mense februario 1950, mortuo Exc.mo Andrea Skarbik, Episcopo Neosolien., quamvis Capitulum Cathedrale Vicarium Capitularem elegisset, Gubernium tamen Cecoslovachum uti Administratorem imposuit sac. Joannem Dechet, qui exinde excommunicatus vitandus declaratus fuit a S. Sede (cfr. *Monitor Eccles.* 1950 n. 1 pag. 31).

Item mense maio 1950, mortuo Vicario Generali dioecesis Budovicen., cum Episcopus eiusdem dioecesis consensum civilis Auctoritatis, quem Gubernium uti necessarium illegittime praetendit, haud petiisset ad alterum Vicarium Generalem sibi nominandum, idem Gubernium proprio marte sac. Joannem Buchta ad illud munus eligere ausum est.

Novissime autem, ut ipsa S. C. Concistorialis Declaratio memorat, ipse Pragensis Metropolita Exc.mus P. D. Joseph Beran, qui iamdiu captivus in aedibus episcopalibus detentus erat et ab exercitio iurisdictionis penitus impeditus, nequissime deportatus est a sua sede et archidioecesi. Interim Gubernium Cecoslovachum sacerdotem Antonium Stehlik Vicarium Capitularem eligere praesumpsit.

Demum, uti iam factum est in Rumenia (cfr. *Monitor Eccles.* 1950 n. II pag. 167), civilis Auctoritas in Republica Cecoslovacha violenta coactione conatur catholicos ritus byzantini subiicere « ortodoxis », qui exinde unionem cum patriarchatu ortodoxo russico, qui — ut notum est — in urbe v. d. *Mosca* residet et regimini communistico omnino subest, profiterentur. Quare die 28 aprilis 1950 Gubernium Cecoslovachum quinque sacerdotes apostatas coadunavit, qui unionem cum praedicto patriarcatu ortodoxo proclamarent. Imo idem Gubernium unum ex dictis sacerdotibus episcopum « ortodoxum » elegit loco legitimi episcopi catholici, np. Excmi Pauli Gojdič, eiusdemque auxiliaris Basilii Hopko, qui, ut diximus, ambo in vincula coniecti sunt.

Nec sub silentio praeteriri possunt vexationes, quas Gubernium Cecoslovachum religiosis ac monialibus necnon Seminariorum alumnis intulit.

Nocte enim inter dies 13 et 14, 14 et 15, 21 et 22 mensis aprilis ac 4 et 5 mensis maii 1950, religiosi omnes, numero circiter 2500, a domibus suis deportati sunt ac in quaedam monasteria detrusi, tamquam in domicilium coactum, iniurias ac ludibria omnis generis passi.

Item novitii ac alumni religiosi, numero circiter 600, a superioribus suis fuerunt separati ac subiecti civilibus officialibus, qui eos a vita religiosa avertere conati sunt.

Itemque mense septembri ac octobri 1950, circiter 1500 moniales a suis monasteriis expulsae sunt.

Insuper, cum facultates theologicae ac Seminaria maiora suppressa fuerint, decreto 14 iulii 1950 Gubernium Cecoslovachum statuit ut studium theologiae perfici posset tantum in Seminariis Pragensi ac Bratislavensi a civili Gubernio erectis atque ab eiusdem officialibus iuxta theorias marxistas directis.

Hinc iure meritoque S. Sedes sententiam declaratoriam edidit, iuxta poenarum comminationem iam antea factam et in paresenti Declaratione memoratam, contra auctores atque cooperatores huiusmodi diabolicae persecutionis contra Catholicam Ecclesiam.

Hora est eorum et potestas tenebrarum!

Attamen, sicut Passione Domini empta est hominum redemptio, ita passione membrorum Mystici Corporis Christi nova redemptio ac gloriosa resurrectio Ecclesiae in Natione Cecoslovacha certissime eveniet.

* * *

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

INSTRUCTIO

AD CONSTITUTIONEM « SPONSA CHRISTI » IN PRAXIM DEDUCENDAM

I. Inter praeclara documenta quibus Ss.mus Dominus Noster, Pius Div. Prov. Papa XII, tamquam pretiosissimis gemmis Maximum Iubilaeum ornare et coronare voluit, non ultimum certe locum obtinet Apostolica Constitutio « *Sponsa Christi* », de sacro ac venerando Monialium Instituto in Ecclesia Dei promovendo et renovando. S. Congregatio, quae pro suo munere et officio fideliter prompteque Ss.mo in omnibus adstat, quae ad Statum perfectionis spectant, commissionem reverenter ac libenter ab Ipso hanc accepit, tot adspectibus vere praeclaram Constitutionem, exsecutioni mandandi atque securam et facilem ipsius applicationem reddendi.

II. S. Congregatio ut tam honorifico muneri satisfaciat, in hac Instructione practicas normas colligit circa illa quae maiorem difficultatem offerunt.

III. Porro, specialem prae se ferunt difficultatem specialique proinde indigent declaratione: 1° ea quae ad Monialium clausuram maiorem vel minorem sese referunt; 2° ea quae de Foederationibus inducendis et de autonomia moderata constituuntur; 3° ea tandem quae de fructifero labore Monasteriis procurando et inter ipsa coordinando in Apostolica Constitutione innuuntur.

I

DE MONIALIUM CLAUSURA MAIORI ET MINORI

IV. Constitutio « *Sponsa Christi* » (art. IV) pro omnium Monialium Monasteriis clausuram peculiarem praescribit quae a clausura episcopali Congregationum differt (c. 604), quaeque ex generali norma iuris, ut clausura regularis virorum, papalis est (c. 597 § 1); immo, quoad plura praescripta, tum pro ingressu extraneorum intra clausurae limites cum pro Monialium ab eisdem egressu, normis severioribus, quam clausura papalis virorum, regitur.

V. Clausura papalis Monialium in posterum duplex erit: *maior*, quae Monasteriis reservatur in quibus, licet numerus Monialium imminutus sit, vota solemnia emittuntur et vita unice contemplativa ducitur; et *minor*, quae, ex regula, Monasteriis applicatur in quibus vita non unice contemplativa colitur vel ubi Moniales vota tantum simplicia profitentur.

I - Clausura papalis maior

VI. Clausura papalis *maior* illa est, quae in Codice prostat (cc. 600, 602), a S. Congregatione, Instructione « *Nuper edito* », S. P. Pio XI, f. m. die 6 februarii a. 1924 approbante, [1] accurate definita. Haec clausura in Constitutione « *Sponsa Christi* » plene confirmatur, salvis declarationibus quae sequuntur, quasque Constitutio S. Congregationi faciendas committit (art. IV, § 2, 1°) ut illius observantia temporum necessitatibus adiunctisque locorum prudenter accommodetur.

VII. Moniales quae clausura papali maiore ligantur, emissa professione, vi huius professionis atque legis ecclesiasticae praescripto, gravem obligationem contrahunt:

1° semper intra Monasterii septa manendi quae sub definitis clausurae limitibus posita sunt, [2] ita ut ipsis inde vel ad momentum exire quovis praetextu vel colore [3] non liceat sine speciali S. Sedis indulto, exceptis tantum casibus in canonibus [4] et Instructionibus S. Sedis [5] expressis vel qui in approbatis ab ipsa S. Sede Constitutionibus seu Statutis contemplantur;

2° in partes Monasterii clausurae legi obnoxias [6] nullam admittendi personam, cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis, etiam ad temporis momentum, sine speciali indulto S. Sedis, exceptis personis et casibus in canonibus expressis [7] atque in S. Sedis instructionibus [8] approbatisque ab Ipsa Constitutionibus vel Statutis.

VIII. 1° Indulta ac dispensationes egrediendi e clausura maiori post emissam professionem (VII, 1°) vel in ipsam ingrediendi aut

---

[1] *A. A. S.*, XII (1924), p. 96-101.
[2] Can. 597.
[3] Instr. *Nuper edito*, III, 1, *b-d*.
[4] Can. 601.
[5] Instr. cit. III, 1, *a*.
[6] Can, 597, §§ 2, 3.
[7] Can. 600, P. C. I.
[8] Instr. cit. III, 2, *a. g*.

alios admittendi (ib., 2°), uni S. Sedi reservantur et ab Ipsa, vel eius nomine ac delegatione, unice concedi valent.

2° Causae ad dispensationes obtinendas, adiunctis casuum, temporum ac locorum aeque ponderatis, attentisque praxi et stilo Curiae, proportionate graves esse debent.

IX. 1° Facultas dispensadi ab homine dari potest, sive ad definitum tempus pro omnibus casibus qui eo currente acciderint, sive ad certum casuum numerum. Nihil tamen vetat quin aliquae concessiones habituales in iure particulari, legitime approbato, e. g. in Constitutionibus, in Foederationum statutis similibusque documentis, fiant.

2° Indulta et dispensationes, sive *ab homine* sive *a iure*, generali aut particulari, procedant, ad normam Instructionum S. Sedis, [9] ac praxis stilique Curiae, conditiones cautelasque definire debent quibus dispensatio subiicitur.

X. Poenas contra huius clausurae leges violantes illae firmae manent quae in Codice continentur (c. 2342, nn. 1, 3).

II - Clausura papalis minor

XI. Clausura papalis *minor:*

1° regulas fundamentales clausurae Monialium, quatenus ipsa tam a clausura Congregationum (c. 604) quam etiam a clausura Ordinum virorum (cc. 598-599) longe distat, salvas relinquit;

2° securam et omnibus patentem observantiam et custodiam castitatis solemnis reddat oportet;

3° vitam contemplativam Monasterii protegere et efficaciter fovere debet.

4° Ministeria quae Ecclesia his Monasteriis consulto commisit, ita sub hac clausura papali minori cum vita contemplativa componenda sunt ut haec salva prorsus sit illaque rite et fructuose exerceri valeant.

5° In Monasteriis quae approbatis operibus vacant, praescriptum can. 599 § 1 pro clausura Regularium virorum, quod Congregationum clausurae, canone 604 § 2, etiam applicatur, rigide et fideliter observandum est, ita ut clara perfectaque separatio semper adsit inter aedes seu aedium partes habitationi Monialium vitaeque monasticae exercitiis destinatas et illas quae operibus addicuntur.

---

[9] Instr. cit. III, 2.

XII. Clausura papalis minor secumfert:

1° gravem prohibitionem admittendi intra partes domus, Monialium Communitati destinatas et legitime clausurae subiectas (c. 597), quaslibet personas Communitati extraneas, cuiusvis generis, conditionis, sexus atque aetatis, ad normam can. 600;

2° prohibitionem etiam gravem pro Monialibus post professionem egrediendi extra septa Monasterii, eadem ratione ac Moniales clausurae maiori subiectae (n. VII-IX).

XIII. 1° Egressus Monialium e partibus Communitati reservatis ad alia loca intra septa Monasterii posita et operibus apostolatus addicta, tantum huius ratione, illis ex venia Superiorissae adhibitisque cautelis licet, quae ad normam Constitutionum praescriptorumque S. Sedis apostolatui exercendo quomodolibet destinantur.

2° Dispensationes a praescripto n. XII, 2°, si quae, ratione apostolatus, necessariae sint, concedi tantum possunt Monialibus aliisque sodalibus quae ministeriis sint legitime adscriptae, onerata graviter conscientia Superiorissarum, Ordinariorum et Superiorum quibus clausurae tutela commissa est (c. 603).

XIV. Ingressus extraneorum ad loca Monasterii operibus destinata his normis regitur:

1° ingressus habitualis licet alumnis seu alumnabus, aliisve in quorum favorem ministeria exercentur et mulieribus tantum quae, ministeriorum ratione et occasione, cum ipsis relationem habere necessario debent:

2° exceptiones quae admitti necessario debent, e. g. quae a legibus civilibus ratione inspectionum, examinum aliisve de causis imponi solent, Ordinarius loci, ut tales, generali seu habituali declaratione definiat;

3° aliae exceptiones, si quae quandoque in casibus singulis videantur vere necessariae, Ordinarii expressis concessionibus reservantur, qui ex conscientiae officio prudentes cautelas imponere debet.

XV. 1° Moniales illegitime e septis Monasterii exeuntes excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata ad normam can. 2342, 3°, vel ex expressa concessione Ordinario loci reservata, ipso facto plectuntur.

2° Moniales illegitime egredientes e partibus Monasterii Communitati reservatis ad alia loca intra septa Monasterii posita, a Superiorissa vel ab Ordinario loci pro gravitate culpae puniendae sunt.

3° Illegitime ingredientes et eos introducentes vel admittentes

in partes Monasterii Communitati reservatas, excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam incurrunt.

4° Illegitime ingredientes et eos introducentes vel admittentes ad loca Monasterii extra partes Communitati destinatas ab Ordinario loci ubi Monasterium adest, severe pro gravitate culpae puniantur.

XVI. Clausurae papalis minoris dispensationes ex regula, exceptis casibus in iure admissis, S. Sedi reservantur.

Facultates plus minus latae, prout adiuncta exigere videantur, sive ab homine sive in Constitutionibus et Statutis possunt Ordinariis delegari.

II

DE FOEDERATIONIBUS MONASTERIORUM MONIALIUM

XVII. Foederationes Monasteriorum Monialium, ad normam Constitutionis « *Sponsa Christi* » (art. VII § 2, 2°), tam ad damna vitanda quae gravius et facilius Monasteriis prorsus independentibus obvenire solent quaeque per unionem efficaciter magna ex parte evitari possunt, quam etiam ad bona spiritualia et temporalia fovenda, enixe commendantur.

Etsi ex regula Foederationes non imponantur, (art. VII, § 2, 2°), rationes tamen ex quibus in genere commendantur, ita in casibus particularibus urgere possunt, ut omnibus perpensis, a S. Congregatione ipsae tamquam necessariae aestimentur.

XVIII. Foederationes Monasteriorum non impediri debent ex eo quod Monasteria quae ipsas constituere intendunt, ut singula, Superioribus regularibus sint subiecta. In *Statutis Foederationis* ratio haberi debet huius communis subiectionis.

XIX. Quando ex mente Fundatoris vel ex qualibet alia superveniente ratione, aliqua extiterit veluti inchoatio unionis vel foederationis Monasteriorum ipsius ordinis vel instituti, ipsa Foederatio ita perficienda est ut ratio habeatur illorum quae prius iam recepta vel adumbrata erant.

XX. Monasteriorum Foederatio nullo modo directo afficit habitudinem singulorum Monasteriorum ad Ordinarios locorum aut Superiores regulares ad normam iuris communis vel particularis vigentem. Hinc, nisi expresse ac legitime huic regulae derogetur, potestas Ordinariorum ac Superiorum regularium ex Foederatione nec augetur, nec minuitur, nec in aliquo modificatur.

XXI. In Foederationis Statutis possunt aliqua circa Foederationem iura Ordinariis vel Superioribus concedi, quae ex regula eisdem non competerent, incolumi generatim iure in singula Monasteria qua talia.

XXII. Unionum seu Foederationum generales ac praecipui fines et commoda sunt:

1° facultas, iuridice agnita, atque officium canonice sancitum fraterni adiutorii, tam in regularis observantiae conservatione, defensione, incremento, rebusque oeconomicis quam in omnibus aliis mutuo sibi praestandis;

2° erectio novitiatuum omnibus seu pluribus Monasteriis communium pro casibus in quibus, sive ob defectum personarum ad officia directionis necessariarum sive ob alia adiuncta moralia, oeconomica, localia etc., in singulis Monasteriis solida et practica institutio spiritualis, disciplinaris, technica, culturalis dari certe non possit;

3° facultas et moralis obligatio, certis normis definita, a Monasteriis foederatis suscepta, petendi ac mutuo sibi concedendi Moniales quae ad regimen et formationem necessariae esse possunt;

4° possibilitas et libertas mutuae temporariae communicationis seu cessionis subiectorum, et etiam destinationis ratione infirmitatis aliusve moralis vel materialis necessitatis.

XXIII. Characteres et notae Foederationum, quae si complexive sumantur essentiales habendae sunt, sequentes recensentur:

1° Foederationes Monialium, *ex fonte* unde proveniunt atque *ex auctoritate* a qua ut tales directe dependent ac reguntur, sunt *iuris pontificii* ad normam Codicis (c. 488, 3°). Hinc, S. Sedi competit et reservatur non tantum ipsarum erectio, [10] verum et Statutorum approbatio atque Foederationi Monasteriorum adscriptio vel ab eadem separatio. [11]

Salvis quoad singula Monasteria his omnibus quae a Codice Ordinariis tribuuntur, Foederationes S. Sedi in iis omnibus subiiciuntur, nisi aliquod legitime atque expresse excipiatur, in quibus Religiones mulierum iuris pontificii eidem S. Sedi directe subiecta sunt. Ex quibus aliqua S. Sedes, prout censuerit, suis immediatis pro Foederationibus Adsistentibus seu Delegatis, habitualiter vel ad casum committere poterit.

---

[10] Const. *Sponsa Christi*, art. VII, § 3.
[11] Const. *Sponsa Christi*, art. VII, § 4.

2° *Ex parte ambitus seu extensionis*, nisi exiguus Monasteriorum numerus vel aliae iustae proportionataeque causae aliud exigant, potius per regiones, utpote facilioris regiminis, constituendae sunt.

3° *Ex parte personarum moralium*, quibus, qua personae collegiales (c. 100 § 2), constituuntur, Foederationes ex Monasteriis eiusdem Ordinis eiusdemque internae observantiae componuntur, etsi non necessario eiusdem subiectionis Ordinario loci vel Superiori regulari, nec eiusdem classis votorum vel formae clausurae esse debent.

4° Si necessitas, magna utilitas vel Ordinum traditiones suadeant, admitti possunt Confoederationes Foederationum regionalium.

5° Ratione autem independentiae Monasteriorum, vinculum quo Monasteria foederata inter se vinciuntur tale esse oportet ut autonomiae, essentiali saltem (c. 488, 2°, 8°), non adversetur. Etsi autonomiae derogationes praesumendae non sunt, concedi tamen valent, praevio singulorum Monasteriorum consensu, [12] si graves causae id suadere vel exigere videantur.

XXIV. Antequam erigi valeant, omnes Foederationes Monasteriorum Monialium propria Statuta habere debent a S. Sede approbanda. [13] In his Statutis accurate definiri debent praesertim:

1° fines quos unaquaeque Foederatio sibi proponit; [14]

2° ratio qua Foederationis regimen ordinandum erit, sive quoad elementa ex quibus constabit, ut ecce Praeside, Visitatricibus, Consilio, etc., sive quoad modum ad haec munera designandi, sive tandem quoad ipsius regiminis potestatem ac rationem procedendi;

3° media quibus Foederatio uti debet ut fines quos prosequitur suaviter et fortiter consequi valeat;

4° conditiones et modus quibus exsecutioni mandari debeant ea quae circa personarum mutuam communicationem in art. VII, § 3, n. 2° Constitutionis « Sponsa Christi » et n. XXII, 4° huius Instructionis statuuntur;

5° conditio iuridica Moniales in aliud Monasterium translatae, sive in Monasterio a quo transfertur sive in Monasterio ad quod fit translatio;

6° oeconomica cooperatio, quae ad opera communia totius Foederationis a singulis Monasteriis praestanda sit;

---

[12] Cfr. Const. *Sponsa Christi*, art. VII, § 5, 2°,
[13] Const. *Sponsa Christi*, art. VII, § 4.
[14] Cfr. supra n. XXIV.

7° regimen sive novitiatus communis sive aliorum operum communium si quae habeantur.

XXV. 1° Ut S. Sedes directam et efficacem vigilantiam atque auctoritatem in Foederationes exercere valeat, unicuique Foederationi dari potest, prout necessitas vel utilitas suadeat, Adsistens religiosus.

2° Adsistens religiosus, illis quorum interest auditis ad normam Statutorum, a S. Congregatione nominatur.

3° In singulis casibus eius officia in documento nominationis accurate definientur. Praecipua autem haec sunt: curare ut genuinus spiritus vitae profunde contemplativae et spiritus etiam proprii Ordinis ac Instituti in Foederatione secure conservetur et augeatur; similiter, ut prudens ac rectum regimen in Foederatione instruatur et retineatur; solidae novitiarum ac ipsarum religiosarum institutioni religiosae consulere; in rebus oeconomicis maioris momenti Consilio adsistere.

4° Adsistens etiam munere veluti *Adsessoris* fungetur, servatis normis pro singulis Foederationibus statuendis.

5° Eidem S. Sedes, prout casus ferant aliqua, delegabit seu committet quae opportuna videantur.

III

DE LABORE MONASTICO

XXVI. 1° Cum temporales vitae necessitates, ex Divinae Providentiae ordinatione, adeo quandoque urgeant ut Moniales moraliter coactae videantur ad alios praeter consuetos labores quaerendos vel acceptandos, ad horaria modificanda, imo etiam ad tempus labori dicatum forsan augendum, sicut Christi fideles in similibus adiunctis, dispositionibus Divinae Providentiae omnes, qua verae religiosae, prompte ac humiliter sese subiiciant.

2° Tamen non anxie vel leviter aut ex arbitrio fiat, sed prudenter quantum necessarium seu conveniens reapse demostretur, harmoniam inter sensum fidelitatis litterae et traditionis ac filialem subiectionem Divinae Providentiae permissionibus ac ordinationibus simplici animo quaerentes.

3° His prae oculis habitis, quae disponenda videantur, ecclesiasticae religiosaeve auctoritati, iuxta casus, subiiciantur.

XXVII. Superiores ecclesiastici et religiosi debent:

1° Omnibus modis fructiferum laborem Monialibus, quae ipso egeant, quaerere ac procurare, utendo etiam, si casus ferat, praeterquam aliis industriis honestis, commissionibus piarum mulierum aut virorum, imo caute et prudenter societatibus externis ad hoc constitutis;

2° prudenter invigilare perfectioni et ordini laborum, atque iusto pretio pro ipsis exigendo;

3° operum laborisque diversorum Monasteriorum coordinationi ita diligenter consulere, ut ea sese mutuo adiuvent, suppleant, compleant, atque vel a longe absit quaelibet etiam aemulationis species.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Religiosis, die XXIII mensis Novembris, anno sacro MDCCCCL.

\+ C. Card. MICARA, Episc. Veliternus, *Praefectus*

(*A.A.S.* vol. XXXXIII (1951) pag. 37-44).

L. + S.

A. Larraona, C. M. F., *Secretarius*

N. B. - *In sequenti fasciculo edentur* Adnotationes *A. Pugliese super Const. Apost.* Sponsa Chriti (*v. supra pag.* 62 ss.) *necnon super hac Instr. S. C. de Religiosis.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM

DE SOLEMNI VIGILIA PASCHALI INSTAURANDA

Dominicae Resurrectionis vigiliam, quam « matrem omnium sanctarum vigiliarum » S. Augustinus appellat (sermo 219, PL. 38, 1088), maxima solemnitate, inde ab antiquissimis temporibus, celebrare consuevit Ecclesia.

Huius vigiliae celebratio horis peragebatur nocturnis, quae Domini praecedunt Resurrectionem. Temporum vero decursu variisque de causis, eadem celebratio ad horas primum vespertinas, dein postmeridianas, denique ad matutinas sabbbati sancti horas anteposita est, diversis simul inductis mutationibus, non sine originalis symbolismi detrimento.

Nostra autem aetate, succrescentibus de antiqua liturgia investigationibus, vivum obortum est desiderium, ut paschalis praesertim vigilia ad primitivum splendorem revocaretur, originali eiusdem vigiliae instaurata sede, ad horas videlicet nocturnas, quae dominicam Resurrectionis antecedunt. Ad huiusmodi instaurationem suadendam, peculiaris quoque accedit ratio pastoralis, de fidelium scilicet concursu fovendo ; etenim cum sabbati sancti dies, non amplius, ut olim, festivus habeatur, quamplurimi fideles horis matutinis sacro ritui interesse nequeunt.

His itaque suffulti rationibus, multi locorum Ordinarii, fidelium coetus religiosique viri, supplices ad Sanctam Sedem detulerunt preces, ut ipsa restitutionem antiquae vigiliae paschalis ad horas nocturnas inter sabbatum sanctum et dominicam Resurrectionis indulgere vellet.

Summus autem Pontifex Pius Papa XII, has preces benigne excipiens, pro Sua in re tanti momenti cura et sollicitudine, quaestionem hanc peculiari demandavit virorum in re peritorum Commissioni, qui totam rem diligenti studio et examini subicerent.

Referente denique infrascripto S. Rituum Congregationis Cardinali Pro-Praefecto, Sanctitas Sua Rubricas quae sequuntur, approbare dignata est, pro nocturna vigiliae paschalis celebratione, facultative pro hoc anno de locorum Ordinariorum prudenti iudicio instauranda, et ad experimentum. Rogantur prop-

terea iidem locorum Ordinarii, qui hac facultate usi fuerint, ut de fidelium concursu et pietate, deque successu instauratae vigiliae paschalis S. Rituum Congregationem certiorem facere velint. Vetatur insuper omnibus librorum editoribus ne hunc ritum imprimant, sine Sacrorum Rituum Congregationis expressa licentia.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Die 9 Februarii 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Veliternus, *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc. *Secretarius*

(*A.A.S.* vol. XXXXIII (1951) pag. 128-129).

N. B. - *Super hoc Decreto edentur in sequenti fasciculo* Adnotationes *F. Antonelli.*

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

INSTRUCTIO

AD OMNES PATRIARCHAS, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ET ALIOS LOCORUM ORDINARIOS, DE IUBILARI ANNO, QUI AD UNIVERSUM CATHOLICUM ORBEM EXTENDITUR. *

Quandoquidem universale Iubilaeum, hac in alma Urbe celebratum, edita nuperrime Constitutione Apostolica « Per Annum Sacrum », ad catholicum orbem extenditur, summopere interest ut quae in eadem decernuntur, accurate, prudenter diligenterque ad effectum deducantur.

Id ut tutius ac facilius effici possit, SS. D. N. Pius Divina Providentia Papa XII iussit ut generales illas normas, quae in eadem Apostolica Constitutione continentur, haec Sacra Paenitentiaria Apostolica enucleate opportuneque declararet atque authentice interpretaretur.

Quamobrem haec « Instructio » ad catholicos omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos aliosque Locorum Ordinarios eo quidem consilio mittitur, ut non modo iidem ea omnia, quae heic edicuntur, studiose perpendant, sed ut etiam sollerter seduloque curent ut clerus populusque unicuique concreditus, ac praesertim confessarii, editis normis earumque interpretationibus diligentissime obtemperent.

Hae autem sunt, quae sequuntur, peculiares normae atque authenticae interpretationes ab omnibus adamussim servandae:

I. Chrstifideles, qui iubilarem indulgentiam lucrari volunt, noscant imprimis necesse esse ut quatuor illis condicionibus obtemperent, quae, ad normam Apostolicae Constitutionis « Per Annum Sacrum » imponuntur: oportet nempe Confessionem sacramentalem instituant, ad Sacram Synaxim accedant, atque imperatas visitationes peragant, in quibus quidem praescriptas preces recitare debent.

II. Confessio autem et Communio ad lucrandam piacularis anni veniam imperatae nihil refert utrum vsitationibus quatuor Ecclesiarum antecedant, an interponantur vel succedant; unum refert et

* Cfr. supra pag. 53-61 Const. Apost. *Per Annum Sacrum*.

necesse est, ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925 § 1, compleatur. Si quis igitur post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in letale rursus inciderit, iteret confessionem oportet, si sacram Synaxim debet adhuc suscipere; secus, satis erit, ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur.

III. Si quis interdum, animo sacras visitationes rite peragendi ad ecclesiae fores pervenerit, aditu ad eam iam clauso vel quavis de causa impedito, tum satis erit ad easdem fores Deum exorare, praescriptas preces recitando. At visitatio pia ac devota sit oportet, idest facta animo Deum colendi: quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat.

IV. Vocales preces, quae praescribuntur, alternis etiam vocibus recitari possunt. Mutis vero can. 936 consulitur.

V. Ad confessarios quod attinet, noscant imprimis in compertoque habeant se extraordinariis hisce facultatibus uti posse dumtaxat erga paenitentes qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia Iubilaei destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes absolutiones censurarum, si eas excipias quae ad reincidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes concessae in suo robore permaneant.

Confessarii his facultatibus uti possunt etiam in foro interno extrasacramentali, dummodo de peculiaribus facultatibus ne agatur pro quibus sacramentalis confessio expresse requiratur.

Parochi tamen peculiarem facultatem habeant iubilares visitationes dispensandi, contrahendi ac commutandi ad normam Constitutionis « Per Annum Sacrum », sub n. VIII, 10, non modo cum de paenitentibus agitur, sed etiam cum de singulis fidelibus singulisque familiis paroeciae suae.

VI. Quandoquidem facultas absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris, itemque dispensandi ab irregularitate hisce finibus continetur atque circumscribitur, ita ut per piacularis anni celebrationem semel tantummodo cum eodem paenitente exerceri queat, cum scilicet ipsemet iubilarem veniam primum lucretur (cfr. Const. « Per Annum Sacrum » sub n. VIII, 13); itemque tum solummodo, cum paenitens iam ab alio confessario facultatem habente per anni sancti decursum ab his peccatis atque censuris absolutus non fuerit, vel ab irregularitate dispensatus, summopere necesse est con-

fessarios, ut munere suo rite fungantur, a quolibet paenitente hisce peccatis, censuris vel irregularitate irretito exquirere:

1° utrum iam iubilarem veniam anno MDCCCCLI lucrifecerit necne;

2° quodsi eam non lucrifecerit, num, anno sancto MDCCCCLI vertente, a peccatis vel a censuris reservatis absolutus fuerit; vel ab irregularitate dispensatus. Etenim si ipse a die I mensis Ianuarii a. MDCCCCLI vel iam iubilarem veniam lucratus fuerit, vel iam fuerit a peccatis aut a censuris absolutus, vel denique ab irregularitate dispensatus, absolutionem et dispensationem eiusmodi iterum obtinere non potest.

VII. Confessarii praediscant ac memoria teneant indicem peccatorum, censurarum, poenarum impedimentorumque omnium, quorum absolutio vel dispensatio in facultatibus sibi concessis non comprehenditur; si qua autem eiusmodi occurrerint, meminisse eos oportet, non aliter posse se paenitenti providere, quam iis religiose servatis quae Codex praescribit can. 2254, 2290, 1045 § 3.

VIII. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam Iubilaei veniam esse consecuturum.

IX. Si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfecerit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

X. Confessarii, qui a censuris etiam publicis absolvere possunt, hoc exploratum habeant:

Qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati, non posse eos tamdiu Iubilaei beneficio frui quamdiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in foro interno sincere deposuerint et rite dispositos sese ostenderint, posse, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi ad finem dumtaxat lucrandi Iubilaeum, cum onere quam primum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris.

XI. Ad peccatum quod attinet, per can. 894 reservatum ratione sui, confessarii absolutionem ne impertiant, nisi paenitens falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna paenitentia.

XII. Si de casu agatur, etiamsi occulto, de quo ad can. 2342,

prohibeant, sub poena reincidentiae, quominus paenitens in posterum ad illam religiosam domum eiusque ecclesiam accedat. Firmis quidem manentibus poenis, de quibus sub n. 2° eiusdem canonis agitur.

XIII. Religiosos, apostatas a religione, ab excommunicatione can. 2385 lata ne absolvant, quamdiu extra claustralia saepta permanserint; attamen, si ii firmum habeant propositum ad religionem suam redeundi, congruo iisdem praefinito ad id exequendum tempore, in foro interno absolvant, ea condicione ut in censuram recidant si intra praefinitum tempus ad religionem non redierint. At ii moneantur, se, quamdiu extra suae religionis domum commorentur, ab actibus legitimis ecclesiasticis excludi, privilegiis omnibus suae religionis privari, Ordinario loci commorationis subiici, atque obnoxios esse, etiam postquam redierint, aliis poneis in can. 2385 statutis. Religiosus autem fugitivus, etiamsi ex Constitutionibus suae religionis in excommunicationem inciderit, absolvi, rite dispositus, in foro interno poterit, imposita obligatione ad religionem quam primum redeundi, eadem ratione eademque sub reincidentiae poena, ac pro apostatis a religione cautum est: praeterea, si sit in sacris, ea lege, ut suspensionem observet can. 2386 statutam.

XIV. Cum de privatorum commutatione votorum agitur, id latiore quadam ratione accipiatur ita quidem ut confessarii, pro sua ipsorum prudentia, in opera etiam minoris meriti eadem vota commutare possint.

XV. A lectione librorum prohibitorum, eorum praesertim qui in can. 2318 § 1 sub excommunicationis poena vetantur, ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario ipsi aut alii, qui facultatem eosdem retinendi habeat, ante absolutionem tradiderit: sin minus, se eos, cum primum poterit, destructurum aut traditurum, serio promiserit.

XVI. Ad facultatem quod attinet sacras visitationes commutandi vel dispensandi, haec animadvertenda sunt:

1° Cum aliquis dispensationem obtinuerit unam vel alteram ecclesiam aut oratorium invisendi, nulla facta obligatione aliam ecclesiam vel oratorium per commutationem visitandi, noverit idem sacras visitationes quatuor semper habendas esse, quae proinde in reliquis ecclesiis vel oratoriis fieri debent; ita quidem ut christifideles vixdum ex sacra aede post actam visitationem egressi, iterum atque illico in eam ingredi queant ad alteram visitationem peragendam. Dispensatio autem alicuius ecclesiae visitandae idem non est ac sacrarum visitationum numeri imminutio.

2° Si quis vero, praeter dispensationem alicuius ecclesiae visitandae, sacrarum etiam visitationum numeri imminutionem petat, confessarii tot preces eidem recitandas praescribant, quot visitationes dispensatae fuere; quae quidem preces haud absimiles illis esse debent quae in sacris visitationibus adhibentur.

3. Ad dispensationes et commutationes, de quibus supra, quod attinet, animadvertant confessarii se conscientiam suam esse oneraturos, si easdem inconsulto et sine iusta causa christifidelibus concesserint.

XVII. Cum quatuor ecclesiarum visitatio non sit opus per se praeceptum, sed tantummodo iis impositum, qui libere velint Iubilaei veniae participes fieri, id visitationis onus, quotiescumque a confessariis privilegiatis debet rationabili ex causa totum vel ex parte paenitentibus remitti, ne commutetur in alia opera, quae ad peragenda paenitens sit alio obligationis proprie dictae titulo adstrictus.

Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII hanc « Instructionem » in lucem edi iussit, ut constans et tuta omnibus praesto sit interpretatio et facultatum, quae vigebunt, et operum, quae praestanda sunt ad veniam Iubilaei consequendam, per proximum piacularem annum, ad universum orbem extensum.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die XXVI mensis Decembris, anno MDCCCCL.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. + S.

S. Luzio, *Regens.*

(*A.A.S.* vol. XXXXII (1950) pag. 853-863).

ADNOTATIONES

Ut ex more, Iubilaeum universale, quod superiore anno in Urbe celebratum fuit, ad universum catholicum Orbem, ad Occidentalem scilicet et ad Orientalem Ecclesiam, extensum est, ut quam plurimi iubilarem veniam participare valeant. Quae extensio, prout legitur in Constitutione Apostolica, quae vobis exhibetur, per integrum vertentem annum manet.

Quam Constitutionem S. Paenitentiariae Apostolicae *Instructio* secuta est ut quae in eadem Constitutione decernuntur « accurate, prudenter diligenterque ad effectum deducantur ».

Huius Iubilaei celebratio iisdem regitur regulis, quae traditae fuerunt in Iubilaeo anno superiore in Urbe celebrato, si hoc unum excipias, suspensionem scilicet indulgentiarum pro vivis ubique et facultatum pro confessariis extra Urbem et suburbium non amplius vigere; christifideles enim, hac celebratione perdurante, omnes indulgentias etiam pro seipsis applicare valent.

Opera ad hanc veniam iubilarem assequendam eadem sunt, quae in quolibet Iubilaeo ordinario imponi solent, videlicet: confessio, Communio, ecclesiarum visitatio et precum recitatio.

Confessio, hac in re, cum sit opus impositum, peragi debet etiam ab iis, qui materiam necessariam non habeant (1). Non valet confessio annua seu paschalis, nec pariter confessio, de qua in can. 931 § 3: requiritur confessio, quae *actualis* dici solet quaeque intra tempus ad Iubilaei veniam assequendam institui debet. Non requiritur confessio generalis, quamvis ipsa sit valde commendanda, nec valet ad Iubilaeum lucrandum, confessio sacrilega [2].

Communio. Non valet Communio paschalis, nisi agatur de fideli, qui praeceptum paschale misere neglexerit; hoc in casu potest ipse una confessione utrique obligationi satisfacere [3].

Nefas est huiusmodi Communionem in alia pia opera commutare, nisi agatur de aegroto, qui ab ea suscipienda prorsus impediatur. Satis est Communio per modum Viatici ministrata [4].

Ecclesiarum visitatio. Ad hanc visitationem quod attinet, quae sequuntur tenenda sunt: Ecclesiae visitandae, ac semel, quattuor esse debent, i. e. *in Urbe episcopali* ecclesia cathedralis ac aliae tres ecclesiae vel publica oratoria; in *suburbio* vero et *reliquis dioecesis partibus* paroecialis cuiusvis paroeciae ecclesia et tres aliae ecclesiae vel oratoria intra eiusdem paroeciae fines. Locus igitur designationis est paroecia non vero civitas, oppidum, pagus; in hac ideo designatione peragenda paroeciae fines egrediendi non sunt. Sequitur proinde ut, si in quadam paroecia unica habeatur ecclesia, videlicet ecclesia paroecialis, hanc ipsam fideles quater visitare teneantur, quamvis in eadem civitate aliae sint ecclesiae ac publica oratoria. Nihil tamen vetat quominus christifideles imperatas visitationes instituant non modo extra propriam paroeciam sed etiam extra propriam dioecesim, dummodo tamen ipsae visitationes, prout de more et in templis pro singulis locis ab Ordinario legitime designatis, peragantur.

Animadverte valde opportunum esse ut una e quattuor imperatis visitationibus ad cathedralem ecclesiam vel ad Sanctuarium

---

[1] Constit. Apost. *Per Annum Sacrum*, VIII, 11.
[2] Constit. Apost., ib.
[3] Constit. Apost., VIII, 12.
[4] Constit. Apost., ib.

aliquod peragatur, si hoc prudenti locorum Ordinarii iudicio sine gravi incommodo fieri possit [5].

Potestas ecclesias vel publica oratoria designandi facta est locorum Ordinariis, qui hoc peragere possunt sive per se ipsi sive per probatos viros ecclesiasticos. In Ecclesia Orientali huiusmodi potestas concessa est Patriarchis aliisque locorum Ordinariis, qui in propria eparchia vel dioecesi designationem peragere pariter possunt per se ipsi vel per viros ecclesiasticos ab ipsis designatos. In regionibus vero a Missionalibus excultis designatio ad locorum Ordinarios pertinet in qualibet quasi paroecia vel missionali statione [6].

Ad hanc Ecclesiarum visitationem quod attinet, quae sequuntur notanda sunt: 1) Cum fidelibus, qui impediuntur quominus visitationes statuto modo peragant quique in n. VI, 2 Constitutionis numerantur, facta est facultas locorum Ordinariis ut per se ipsi vel per delegatos viros ecclesiasticos earumdem visitationum numerum contrahant, vel ecclesias invisendas ad minorem numerum reducant, vel denique statutas visitationes in alia pietatis caritatisve opera commutent [7]. 2) Cum fidelibus singulis, qui iusta de causa easdem praescriptas visitationes peragere nequeant, data est facultas Confessariis sive concedendi dispensationem a visitatione alicuius ecclesiae, eam commutando, si fieri potest, in visitationem alius ecclesiae, sive visitationum numerum contrahendi. De quo tamen sedulo animadverte: Si quis dispensationem obtinuerit unam vel alteram ecclesiam aut oratorium invisendi, nulla facta obligatione aliam ecclesiam vel oratorium visitandi, tenetur semper quattuor peragere visitationes: imminutio enim numeri ecclesiarum visitandarum minime significat visitationum numeri imminutionem. Si ipse igitur per dispensationem facultatem obtinuerit unam ecclesiam invisendi, hanc ipsam quater visitare tenetur. Si quis vero, praeter dispensationem alicuius ecclesiae visitandae, petat quoque visitationum numeri imminutionem, confessarii tot preces recitandas imponere tenentur, quot fuerunt visitationes dispensatae. Quae quidem preces eaedem esse debent, quae in visitandis ecclesiis seu oratoriis imperatae sunt [8]. 3) Cum fidelibus singulis autem, qui morbo aliove impedimento prohibentur quominus praefatas visitationes peragant, confessarii eas in alia pia opera commutare valent [9]. 4) Parochis facta est facultas a iubilaribus visitationibus dispensandi, eosque contrahendi ac commutandi etiam cum agitur de singulis fidelibus

---

[5] Constit. Apost., V.
[6] Constit. Apost., I.
[7] Constit. Apost., VI, 2.
[8] S. Paenit. Apost., Instructio *Quantoquidem*, XVI, 2°.
[9] Constit. Apost. VIII, 10.

ac de singulis paroeciae suae familiis [10]. 5) Nautae iique omnes, qui navigium inserviunt, si navigium sacellum habeat, in quo fas sit sacrum facere, iubilares visitationes inibi instituere valent. Sin aliter iisdem concessum est ut, cum ad certam stationem pervenerint, ibi, in quovis templo, possint easdem perficere visitationes ac statutarum precum recitationem persolvere [10].

Ecclesiarum visitatio, nos admonet S. Poenitentiaria Apostolica, pia ac devota esse oportet, idest facta animo Deum colendi; quae quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo patefaciat [11]. Si quis ad aliquam ex ecclesiis visitandis iam pervenerit, sed aditus ad eam quavis de causa non sit possibilis, satis erit ut ad eius fores vel gradus praescriptas recitet preces.

Harum ecclesiarum seu oratoriorum visitationem commutare in alia pia opera, ad quae fidelis alio titulo teneatur, nefas est [12].

Fideles ecclesias seu oratoria visitanda adire possunt quovis modo, i. e. pedibus, transviario curru electrica vi acto, automato etc.

Precum recitatio. Preces, in unaquaque visitatione recitandae, sunt: quinquies « Pater, Ave, Gloria »; semel praeterea « Pater, Ave, Gloria ad Summi Pontificis mentem; ac semel formula « Credo »; insuper ter « Ave Maria » cum invocatione « Regina pacis, ora pro nobis » ac semel « Salve Regina ». Laudabiliter additur oratio a Summo Pontifice pro Anno Sancto MCCCCL composita.

Sedulo advertendum est invocationem « Regina pacis, ora pro nobis » ter recitandam esse, post sc. cuiusque Salutationis Angelicae recitationem.

Ecclesiae Orientalis fideles, in visitationibus peragendis, recitare tenentur preces a S. Congregatione, Orientali Ecclesiae proposita, pro diversis ritibus designatas. Quas preces singuli locorum Ordinarii in alias valent commutare preces cum iubilares visitationes privatim peraguntur.

Huiusmodi preces vocales esse debent et, ad normam can. 934 § 3, alternis cum socio possunt recitari. Non debent esse ex alio titulo praeceptivae nec requiritur ut flexis genibus recitentur.

Mutis consulitur canone 936, ita ut pro ipsis satis sit, si una cum aliis visitationem peragant, ut mentem et pios sensus ad Deum attollant; si vero privatim, ut preces praescriptas mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant.

Nullus ordo in operibus imperatis explendis requiritur: hoc unum refert et necesse est ut opus postremum, qod etiam Communio esse potest, ad normam can. 925 § 1 in statu gratiae ponatur. Si

---

[10] S. Paenit. Apost., Instructio, V.
[11] S. Paenit. Apost., Instructio, III.
[12] S. Paenit. Apost., Instructio, XVII.

quis igitur post confessionem peractam sed ultimo opere nondum expleto, rursus in laetale inciderit, confessionem iterare tenetur, modo debeat S. Communionem adhuc suscipere, secus satis erit ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur [13].

Etiam in huius anni sacri celebratione valet responsum datum quoad Iubilaeum anno 1933 celebratum. Proposito dubio: « utrum nonnulla vel etiam omnia opera pro altero iubilaeo acquirendo fieri possint antequam inchoata opera pro primo absolvantur », S. Paenitentiaria Apostolica respondit: *Negative* [14]. Quod dispositum confirmatur per praesentem Constitutionem, in qua legimus: «... ita tamen ut nulla pro alio iubilaeo acquirendo opera fieri queant, antequam inchoata opera pro praecedenti omnino absoluta fuerint [15].

Si quis vero, post inchoata opera morbo correptus statutum visitationum numerum absolvere nequiverit, satis erit, ad iubilarem veniam adipiscendam, ut, sacramentali confessione peracta, eucharistica Mensa reficiatur [16].

Ut melius ac facilius bono consulatur fidelium, qui velint hanc iubilarem veniam assequi, Apostolica Sedes confessariis omnibus non paucas concessit facultates, quas quilibet inspicere poterit in exhibita Constitutione. De quibus facultatibus tamen, quae sequuntur notanda sunt: 1) Confessarii his facultatibus uti possunt cum omnibus tum Ecclesiae Occidentalis tum Ecclesiae Orientalis fidelibus, qui animum habeant Iubilaeum lucrandi. Attamen si paenitens, mutato proposito, cetera opera ad lucrandam Iubilaei veniam imperata intermiserit atque ab ea lucranda omnino destiterit, omnes censurarum absolutiones, exceptis illis quae ad reincidentiam datae sunt, votorum commutationes ac dispensationes in suo robore manent [17]. Quibus facultatibus confessarii uti valent etiam in foro interno extrasacramentali, dummodo ne agatur de facultatibus, pro quibus sacramentalis confessio expresse requiratur [18].

Cum agitur de facultatibus absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris itemque dispensandi ab irregularitate, confessarii ipsis uti valent semel tantum cum eodem paenitenti, cum sc. ipse iubilarem veniam lucretur; aliis vero facultatibus semper in favorem eiusdem paenitentis uti valent [19].

Huius anni piacularis indulgentia plenaria lucrifieri potest ab omnibus utriusque sexus christifidelibus extra Urbem eiusque su-

---

[13] S. Paenit. Apost., Instructio, II.
[14] AAS., XXV, 343.
[15] Constit. Apost., V.
[16] Constit. Apost., VIII, 13.
[17] S. Paenit. Apost., Instructio, V.
[18] S. Paenit. Apost., ib.
[19] Constit. Apost., VIII, 13.

burbium commorantibus, etiamsi ipsi per Annum Sacrum Iubilaei veniam adepti iam sint: excluduntur igitur qui in Urbe eiusque suburbio commorantur. Hanc ipsam Indulgentiam fideles toties lucrari valent, quoties opera imperata, quovis ordine servato, praestiterint ipsamque applicare cum sibi tum animabus in purgatorio detentis, non vero christifidelibus in vita degentibus, prout decernitur in can. 930. Sequitur fideles hanc iubilarem indulgentiam semel in die assequi posse: inter opera enim imperata adnumeratur Communio, quae eodem die nequit iterari.

In his notis perficiendis nihil opportunius putamus quam suavissima maeroreque affecta referre verba, per quae Christi Vicarii peculiaris mens indicatur cum Beatissimus Pater amplissimam hanc veniam ad universum catholicum Orbem extendit, videlicet: « ... ut redeat tandem aliquando optatissima pax in omnium animos, in domesticos convictus, in singulas Nationes, in universamque populorum communitatem; ut habeant ' qui persecutionem patiuntur propter iustitiam ' invictam illam fortitudinem, quae Ecclesiam inde ab originibus martyrum cruore decoravit; ut qui profugi, qui captivi, qui extorres longe a propriis laribus abstrahuntur, ad dulcissimam possint quantocius patriam remeare suam; ut denique civium ordines, pacatis odiis sedatisque discordiis, iustitia fraternaque concordia ac caritate invicem coniungantur; utque sanctissima Ecclesiae iura adversus hostium insidias, fallacias insectationesque incolumia semper inviolata serventur ».

S. de Angelis

JURISPRUDENTIA TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Dino Staffa, Ponente

ROMANA

N. 4385

Null. Matr.

SENTENTIA DEFINITIVA diei 23 februarii, 1951.

De bono prolis

In Jure. — Legimus in Sententia impugnata: « In re matrimoniali *jus* coniugale essentialiter in se continet *usum* juris: nam uxor, quae excludit usum iuris pro marito, excludit jus coniugale. Insuper in doctrina quae distinguit inter jus et usum iuris et inter exclusionem totalem et partialem prolis, habetur petitio principii. Huiusmodi auctores dicunt: matrimonium est validum, si solummodo *usus* iuris excluditur, non autem *jus;* matrimonium est validum si solummodo partialiter proles excluditur. Sed tota quaestio haec est: estne matrimonium validum, et quidem vi iuris naturalis, si usus iuris excluditur, si proles partialiter excluditur? Si probatum est tale matrimonium esse validum, tunc possumus utique distinguere inter jus et usum iuris et inter exclusionem totalem et partialem. Sed talem probationem hucusque nemo posuit: immo Signatura Apostolica matrimonium cum partiali exclusione prolis declarasse nullum constat ex actis — *S. R. R. Decisiones*, vol. XVII, p. 141, nota 1 — ».

Distinctionis probatio inter jus et usum iuris relate ad actus vere coniugales, naturali ipso rationis lumine praebetur et communi constantique sententia Doctorum, ita ut non absque admiratione quosdam Judices Ecclesiasticos errori videantur favere quo iuri naturae vis infertur, principium concutitur quo judicia in hac re inniti debent et normae evertuntur, quibus amotis coniugale consortium plerumque in discrimen verteretur.

Jus ex matrimonio profluens ad actus vere coniugales, inter iura subiectiva numeratur. Jus subiectivum communiter definitur: « facultas moralis inviolabilis ordinandi quaedam ad proprium finem,

seu quaedam habendi, faciendi vel exigendi » (F. X. Wernz, Jus Decretalium, ed. 3ª, I, n. 45. Cfr. etiam F. Suarez, Tractatus de legibus, Lib. I, c. 2, n. 4. I. De Lugo, De justitia et jure, Disp. I, sect. I, jus reale definit « praelationem quamdam moralem, qua hic homo praefertur moraliter aliis in *usu* talis rei, propter peculiarem connexionem, quam res habet cum eo ». Ex definitione iuris subiectivi eruitur illam facultatem moralem, in qua jus subiectivum consistit, ab eius usu distingui, quo ipsa facultas deducitur in actum. Distinctio enim inter jus subiectivum, et eius usum seu exercitium, in re nostra habetur ad instar distinctionis inter potentiam et actum pro philosophis. Dum facultas, in qua jus subiectivum consistit, moraliter inviolabilis est, eius usus impediri, recusari, intermitti potest, immo pluries usus juris continuus seu absque interruptione impossibilis est; sicut suspendi, ita usus renuntiari vel omitti valet per aliquot actus vel ad tempus determinatum vel ad tempus indeterminatum vel etiam semper: iuri enim non obstat eodem non uti sed eodem uti non posse.

Quia distinctio inter jus et usum habetur quotiescumque jus subiectivum habeatur, pluries necessario etiam in nostro Codice innuitur (cfr. e. g. cann. 89, 103, 105, 118, 161, 164, 1649, etc.); clarissime vero in can. 1081 § 2, quo consensus matrimonialis definitur: actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat « *jus* in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad *actus* per se aptos ad prolis generationem ». Jus ergo quod, consensu matrimoniali traditur, est jus subiectivum seu facultas quae habet suum obiectum ad quod ordinatur et quod consequenter ab ea distinguitur: actus nempe per se aptos ad prolis generationem. Distinctio inter jus, quod consensu matrimoniali traditur et acceptatur, et usum iuris, seu actus proprie coniugales, ita realis est, ut contrahentes valeant hoc jus sibi invicem tradere, ideoque contractum matrimonialem valide inire, etiamsi neuter iure sic acquisito uti velit, (Beata Virgo et Sanctus Joseph vero matrimonio iuncti sunt, quamvis ex divina revelatione Maria novisset numquam iure suo Castissimum Sponsum usurum: cfr. Th. Sanchez, De Sancto Matrimonii Sacramento, L. II, disp. XXIX, n. 4, ubi citatur et F. Suarez), aut alteruter obligationi ita assumptae saltem ad tempus satisfacere non intendat. Verum est ergo jus, ex matrimonio profluens, natura sua ad actus vere coniugales ordinari; sed falsum est « jus coniugale essentialiter in se continere usum iuris ». Attamen, ut notum est, « indivisibilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se, quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradunt, sequitur quod separari non possunt; et inde est quod matrimonium numquam invenitur sine inseparabilitate » (*Summa Theologica*,

suppl. p. III, q. XLIX, a. 3); distinctio ergo inter jus et usum quoad perpetuitatem contradictionem involvit, quia perpetuitas etiam unico actu contrario penitus cessat.

Distinctionis probatio inter jus et usum relate ad actus vere coniugales, nedum e textu Codicis, quem retulimus, et ex iure naturali deducitur quo innituntur supra allata argumenta, sed etiam ex doctrina communi et constanti Theologorum et Canonistarum. Sufficiat recolere textus ex. gr.: S. Thomae (*Summa Theologica*, suppl. p. III, q. XLIX, art. 3), Th. Sanchez (*De Sancto Matrimonii Sacramento*, L. II, disp. XXIX, nn. 11-12, ubi alii citantur); B. Pontii (*De Sacramento Matrimonii*, L. I, cap. XVI-ss.); L. Billot (*De Ecclesiae Sacramentis*, Romae, a. 1930 Tom. II, p. 339 ss.); F. X. Wernz-P. Vidal (*De Matrimonio*, Romae, 1928, n. 28 cum aliis ibi citatis); P. Gasparri, (*De Matrimonio*, ed. a. 1932, nn. 8, 898 ss. et alii ab eo citati); F. M. Cappello (*De Matrimonio*, ed. a. 1947, nn. 16, 631), etc.

Cum doctrina citata consonat jurisprudentia universa, etsi in aestimatione facti aliquando Judices fuerint discordes.

Judices appellati provocant ad Sententiam S. R. Rotae diei 14 martii a. 1924 c. *Chimenti* (*Decisiones S. R. Rotae*, vol. XVI, pp. 106-113) et ad decretum Signaturae Apostolicae diei 26 julii a. 1926 (*Decisiones S. R. Rotae*, vol. XVII, p. 141, nota 1). At Sententia Rotalis diei 14 martii a. 1924 coram *Chimenti* nullimode excludit distinctionem inter jus et usum iuris, imo eandem explicite confirmat, distinguens in iure intentionem non se obligandi « ab intentione obligationes non implendi, quae intentio, ad bonum fidei et prolis quod est, non obstat validitati matrimonii » (*Decisiones S. R. Rotae*, l. c. p. 108, n. 3); distinctionem repetit in facto (ibid. p. 112, n. 8) et concludit: « confirmatur, Elisabeth, cum matrimonium contraxit, excludere voluisse essentialem *obligationem* et non tantum eius exsecutionem in ordine ad procreationem prolis » (ibid. p. 113, n. 9). Memorata Sententia Rotalis reicit e contra distinctionem inter jus *radicale et usum* iuris. Sicut enim distinguitur bonum prolis radicale seu in suis principiis seu in jure, et bonum prolis in actu seu in exsecutione, ita quidam inter Decessores nostros et hodiernos scriptores distinxerunt jus radicale ab eius usu. Sententia citata merito improbat hanc loquendi rationem, quia jus ad actus vere coniugales species non habet, distinctiones non admittit inter jus radicale et non radicale, ideoque: « arbitraria videtur, cum Codex dicat sufficere ad nullitatem matrimonii ut excludatur jus. Est quoque confusionis conciliatrix, cum per eam jus ad coniugalem actum dividi videatur in ignota genera » (*Decisiones S. R. Rotae*, l. c. p. 108). Decretum vero Signaturae Apostolicae diei 26 julii a. 1926, nullum argumentum praebet ad distinc-

tionem negandam inter jus et usum. Hoc decreto decisa fuit a Supremo Tribunali causa *Harlemen. Nullitatis Matrimonii*, inter Franciscum et Elisabeth.

Post Sententiam Tribunalis primae instantiae, qua edicebatur non constare de nullitate matrimonii ob exclusum bonum prolis, res delata fuit ad N. S. T. in quo ter pertractata fuit: prima Sententia Rotalis, diei 29 aprilis a. 1922, *c. Parrillo*, antecedentem confirmabat; altera, diei 14 martii a. 1924, *c. Chimenti*, decernebat e contra constare de nullitate matrimonii; tertia, diei 23 martii a. 1925, *c. Jullien*, lata fuerat pro vinculo.

Quamvis diu causa agitata sit, numquam contradicta fuit distinctio inter jus et usum, prout eruitur e Sententiis citatis et iam editis (*S. R. Rotae Decisiones*, vol. XIV, a. 1922, pp. 119-132; vol. XVI, a. 1924, pp. 105-113; vol. XVII, a. 1925, pp. 129-141), et ex recursu a Patronis interposito, die 21 decembris a. 1925, ad Signaturam Apostolicam: « Il punto controverso sta nel vedere se questo proposito escludesse lo jus ad prolem o solo l'uso di quel diritto, essendo noto che nel primo soltanto, e non nel secondo caso, il consenso si ritiene viziato e quindi il matrimonio nullo ». In relatione autem ex officio, pro Plenaria sessione confecta, principium juris enuntiatur iisdem verbis quibus usa fuerat Sententia coram Jullien, et additur: « Jamvero circa hoc principium juris nullum dubium, nulla controversia... Quaestio est circa practicam applicationem eiusdem principii quod attinet ad consensum matrimonialem praestitum a muliere conventa, ratione habita propositi ab eadem actori manifestati, ab eodemque admissi: excludendi nempe in sexualibus relationibus procreationem prolis. Etenim si probaretur ream conventam hanc conditionem *sine qua non* apposuisse in matrimoniali consensu, et exclusisse jus ad prolem, consensus ipse vitiatus esset, matrimoniumque nullum. Quod si mulier, assentiente quidem viro, non *jus* ad prolem excludere voluit, sed *usum* tantum eiusdem juris, et quidem ad tempus; et magis si hoc per modum desiderii vel etiam simplicis propositi ostendit, nec idem voluit quasi conditionem *sine qua non*, locus non esset nullitati matrimonii. Divergentia quidem Sententiarum S. Rotae nititur huic diverso iudicio circa consensum a muliere praestitum. Prima enim ac tertia Sententia retinent mulierem non exclusisse jus ad prolem, nec hanc exclusionem quasi conditionem *sine qua non* voluisse; secunda vero Rotalis Sententia, *c. Chimenti*, innititur partiali simulatione consensus ab E. praestiti, quae jus ad prolem perpetuo excludere voluit, qua exclusione eiusdem consensus matrimonialis vitiatus fuit, ideoque matrimonium nullum ». EE.mi PP. Cardinales Signaturae Apostolicae in sessione Plenaria decreverunt constare in casu de nullitate matrimonii, at Litterae quibus de hac decisione

certior facta fuit S. Rota, de distinctione inter jus et usum mentionem non faciunt; neque verbum de hoc invenitur in decreto extante apud Supremum Tribunal, neque in sententia quae ab eodem neque edita neque umquam exarata fuit. Patet inde quanti facienda sit doctrina quae, validis argumentis non suffulta, defectui eorum quocumque medio supplere conatur. Si distinctio inter jus et usum ab Apostolica Signatura revera fuisset impugnata, plurimae causae in nostro foro aliter postea resolutae fuisssent, aut saltem ab advocatis delatae ad praefatum Apostolicum Tribunal.

Tam aperte, necessario et evidenter contra rationem, traditionem et jus positivum verba appellatae sententiae pugnant, ut aliud prorsus intellexisse ominemur, imo opinemur eorumdem Auctorem, quam ipsa verba significent. Eadem nihilominus, etsi aegro animo, refutare debuimus, tum quia « nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit » (D. XXXIII, 10, 7, 2) cum ne in exemplum transeant. Forte appellati Judices ita dicere volebant: jus ad actus vere coniugales ex consensu matrimoniali oritur; si consensus limitatur, limitatur et jus; quoties ergo constet de vera consensus coniugalis limitatione, inutile est inquirere utrum tantum usus vel etiam jus limitatum sit: limitatio enim vel exclusio juris, necessario secumfert usus limitationem vel exclusionem. Si talis tamen fuit revera Judicum mens, statim patet vel obiter legenti quam inepta ratione fuerit expressa.

CONGRESSUS DE STATIBUS PERFECTIONIS

CONGRESSUS DE STATIBUS PERFECTIONIS

AUCTORITATE S. C. DE RELIGIOSIS INDICTUS
ROMAE, ANNO IUBILAEI MAXIMI
A DIE 26 NOVEMBRIS AD DIEM 8 DECEMBRIS CELEBRATUS.

1. Inter Congressus perdurante Anno Sancto Almae Urbis coadunatos, non ultimum certe obtinet locum *Congressus de Statibus perfectionis*, Auctoritate S. Congregationis de Religiosis indictus, a die 26 novembris ad diem 8 decembris celebratus. « Quod quidem numquam ecclesiasticarum rerum memoria factum esse recenset, nunc primum sodalitates, in quas qui cooptati sunt suae veluti vitae metam evangelicam absolutionem perfectionemque sibi praestituunt, in tam celebres coetus coaluerunt, quemadmodum postremis hisce diebus contigit, ut de communibus utilitatibus cogitata librarent consilia » (Pius XII, *Allocutio* ad Religiosos, in Audientia diei 8 decembris; *AAS*, XXXXIII (1951), p. 26-36).

« Laetanti admodum animo » discens Romanus Pontifex, S. Congregationem de Religiosis, magnum istud indixisse conventum, et « salutiferum eiusmodi coeptum flagranti Sua commendatione et laude palam firmare percupiens », litteras propria manu signatas E.mo Praesidi, Cardinali Praefecto S. Congregationis de Religiosis mittere dignatus est, non solum ut hos suos paterni animi sensus exprimeret, sed etiam ut normas traderet quibus in auspicatissima « accomodata renovatione » secure procuranda, Congressus duceretur (*ASS*, XXXXIII (1951), p. 24-26).

Hic sane erat praecipuus Congressionis scopus, quem ipse R. Pontifex necessarium proclamavit in praelaudata Allocutione ad Religiosos qua Ipse claudere studia et disceptationes voluit: « Quod ut efficeretur, iudicio Nostro matura tempora omnino requirebant. Mutata enim rerum adiuncta, quae subire debet Ecclesia, nonnulla doctrinae placita, intra ipsa Ecclesiae saepta conflata et evulgata, eas quoque quaestiones attingentia, quae ad moralis perfectionis condicionem et statum pertinent, apostolici laboris, quem vos large et prolixe suscipitis, instantes necessitates, haec omnia valde suadebant, ut dispositis disceptationibus et studiis vacaretis » (*AAS*, l. c., p. 27).

Re enim vera, ut iam in doctissima Prolusione dixerat E.mus Cardinalis Piazza:

« *Nel tumulto vertiginoso della vita sociale moderna, in cui tutto si evolve e si trasforma sotto la pressione di eventi imperiosi e di cause profonde, suscitando problemi sempre nuovi, imponendo continuamente revisioni e modifiche di situazioni, di rapporti, di metodi, non è meraviglia che anche gli Istituti religiosi, a contatto con la realtà presente e in previsione di un minaccioso avvenire, sentano il bisogno di rivedere ed eventualmente modificare le proprie strutture e le forme di collaborazione apostolica per la salvezza dei fratelli, per la riforma della società, per la difesa e il trionfo della Chiesa cattolica nel mondo attuale.*

Tale iniziativa meritava, pertanto, la adesione cordiale e la cooperazione di tutti gli Ordini e le Congregazioni religiose, nel cui interesse immediato si celebra il presente Congresso; il quale fu accuratamente disposto e preparato nella articolazione dell'argomento in vari temi parziali, nella scelta di valenti relatori, nel felice coordinamento di studio e di preghiere per ottenere dal Signore lumi e forze adeguate all'impresa, la quale potrebbe segnare una grande tappa di arrivo e di partenza nella vita e nella storia di tali istituzioni, sotto la guida della Chiesa e della divina Provvidenza... ».

« *Siffatta necessità potrebbe evidentemente suggerire e giustificare un adeguamento nelle strutture accidentali della vita interna. In tutti gli Istituti religiosi esiste certamente qualche cosa d'immutabile; ed è la personalità giuridica, l'essenza dei voti, lo scopo speciale e lo spirito caratteristico, oltre le leggi comuni consacrate dal diritto canonico; ma quello che non tocca la sostanza e che risente spesso del logorio del tempo, può e deve essere oggetto di riforma, allorchè questa venga imposta dai superiori interessi della Chiesa e delle anime* ».

2. Ut nostrae *Ephemeridis* lectores notitiam aliquam de hoc Congressu habeant, quaedam de eius praeparatione atque, ut dicitur, organizatione, explicabimus, quaedam de eius evolutione et executionis ordine, quaedam denique de fructibus ab eodem percepti vel qui ab eo expectantur.

I. Praeparatio et organizatio.

3. *Prima celebrandi Congressus adumbratio* a Rev.mo P. Larraona edita est in sessione Commissionis pro Studiis et formatione religiosorum habita die 27 iunii anni 1949. Restrictior Commissionis coetus, praeside eodem Rev.mo tunc Subsecretario, programmatis praecipua lineamenta in sessione plenaria diei 1 dec. 1949 praesentavit. Mense martii 1950 propositum Congressionem coadunandi et eius obiectum, cum Rev.mis Superioribus Generalibus, reservata forma, communicata sunt, qui eodem tempore rogabantur ut propositiones vel observationes S. Congregationi mittere dignarentur, ad eius aptam praeparationem et meliorem exitum procurandum. Sequentibus mensibus prosequitur lenta sed intensa elaboratio seu com-

positio tum argumentorum programmatis tum elenchi oratorum et scriptorum; usque dum mense semptembri mitti poterat omnibus interesse habentibus libellus typis impressus, correctionibus tamen et emendationibus adhuc obnoxius (*bozze di stampa*). Programma completum et definitivum mense novembri distributum est.

4. *Congressus objectum et scopus.* a) E disceptationum libello exscribimus: « Auctoritate S. Congregationis de Religiosis, Superioribus Generalibus Religionum, Societatum, Institutorum saecularium coadiuvantibus, 26 nov. - 8 dec. 1950, celebratur Congressus de Statibus Perfectionis ab Ecclesia canonice probatis, cuius argumentum generale est: *Statuum perfectionis praesentibus temporibus atque adiunctis accommodata renovatio.* - Argumentum triplici *Sectione* sub tribus praecipue respectibus evolvitur atque applicatur:

Sectio I: Accommodata renovatio Statuum perfectionis quoad vitam et disciplinam.

Sectio II: Accommodata renovatio Statuum perfectionis quoad institutionem et formationem.

Sectio III: Accommodata renovatio Statuum perfectionis quoad apostolatum ordinarium et extraordinarium ».

b) Amplissimum sane et, ut ita dicamus, completum programma evolvendum proponebatur. Cur autem tam amplum proponeretur programma, facile patebit haec consideranti: a) in omnibus quae vitam religiosam complent (disciplinam, institutionem, apostolatum necessitas alicuius accommodatae renovationis persentitur; b) circa illa omnia, errores et exaggerationes ab extraneis proferuntur, quas cognoscere et in lucem educere oportebat; ad ipsos alludere videtur R. Pontifex dum loquitur in textu Allocutionis supra transcripto « de nonnullis doctrinae placitis, intra ipsa Ecclesiae septa conflata et evulgata... »; c) in omnibus item adspectibus vitae religiosae defectus advertuntur, quos corrigere necesse est: recte de Congressu dixit qui eum appellavit « accuratum conscientiae examen » pro selectis omnium Religionum virorum repraesentantibus; d) accedit quod vita religiosa ita in omnibus suis elementis *una* est, et ita elementa ab aliis dependent, ut difficile evadat v. gr. de accommodata in apostolatu renovatione agere quin necessario de institutione et, ut aiunt, formatione ad apotsolatum, et de disciplina et regimine eidem aptandis, tractetur; e) de omnibus tandem his materiis, ex una parte S. Congregatio de Religiosis plura habebat quae religiosis erant communicanda et inculcanda, ex alia vero parte Ipsa S. Congregatio amplam et accuratam exquirere sibi proposuit informationem seu notitiam, qua indiget ut plura problemata quae sub studio ut videtur, habet, secure et quamprimum resolvere valeat.

c) Opportune igitur pro hoc primo de Statibus perfectionis Congressu completus de vita religiosa prospectus propositus fuit; quod ceterum, sternere viam poterit ad futuros conventus celebrandos, in quibus iam de particularibus adspectibus agi poterit.

d) *Vita* et *disciplina* (Sectio I) consideranda erant tum in suis elementis genericis (votis, obligatione tendendi ad perfectionem, ascetica religiosa, Regulis et Constitutionibus, vita communi, regimine et disciplina), tum in elementis specificis seu singularum Religionum propriis (spiritu peculiari, iure particulari, traditionibus, etc.). Ipsi adsignantur 4 Relationes, 10 Communicationes, 8 Argumenta.

Institutio et *formatio* (Sectio II) inspicienda erat tum in diversis ipsius gradibus (vocationum selectione, postulatu, novitiatu, curriculo philosophico et theologico, novitiatu apostolico et praeparatione ad ministeria, tertio anno probationis, anno perfectionis, etc.), tum in diversis adspectibus formationis (intellectualis, moralis, clericalis, religiosae, technicae); consideratis etiam relationibus sive ad auctoritates internas, sive ad auctoritates quae dicuntur externae (civiles, etc.); haec autem non tantum quoad alumnos qui ad sacerdotium destinantur sed etiam quoad fratres conversos seu coadiutores. Signantur 3 Relationes, 12 Communicationes, 6 Argumenta.

Apostolatus denique, generali divisione adhibita in ordinarium et extraordinarium, obiectum erat tertiae Sectionis, in qua non solum praecipuae formae hodierni apostolatus examini subici debebant sed speciatim modus seu ratio coordinandi apostolatum religiosorum cum apostolatu aliarum Institutionum quae ipsum in Ecclesia data opera prosequuntur. Signantur 2 Relationes, 8 Communicationes, 4 Argumenta.

5. *Media.* Is fuit quidem Congressionis scopus. At media potissima quibus S. Congregatio intentum prosequi decrevit, duo fuerunt: *studium* et *oratio;* ideo primus programmatis titulus ferebat: *Hebdomada studii et orationis.* Et revera pari gressu et studii sessiones et pietatis exercitia procedebant. Res sane digna quae a R. Pontifice in saepe memorata Allocutione diei 8 decembris notaretur: « Opus vero vestrum iam in eo est, ut persolvatur. Accuratis considerationibus id ferbuit, proposita multiplicia progenuit neque perficiendis virtutibus, ut speramus, minus locuplex erit. Has vestris annitentibus voluntatibus, Dei gratia excitabit, quam quidem preces et religiosae abnegationis expleta opera, tum vestra, tum praesertim vestrarum in Christo Sororum, incepto, in quod incumbitis, flammantibus votis invocant ». *Praesertim* vestrarum in Christo Sororum; utique, nam Religiosae, quae vehementer etiam appetunt et postulant similis alicuius Congressus, sub ductu S. Sedis celebra-

tionem, earum necessitatibus respondentis, hac vice nonnisi ad cooperationem per abnegationis et orationis exercitia, at id peculiarissimo quidem modo, invitatae sunt; cui invitationi, religiosae fideliter sane et diligentissime responderunt, nam ad plures centenas et aliquando millenas in pia exerctia tum matutina tum serotina convenire videbantur. Iterum Summus Pontifex ad utrumque medium adhibendum sese referens, in litteris ad E.mum Praesidem: « Qui enim Conventui intererunt, non solummodo, ut propriam suae vitae condicionem addecet, Iubilaei Maximi indulgentiam aemula pietate lucrifacient, verum etiam, Nostrae ultro obsequentes voluntati, divinarum rerum studium et apostolicae navitatis proposita aptis meditationibus redintegrare ac renovare connitentur, simulque per hebdomadem, communibus accuratisque pervestigationibus, multigenas excutient quaestiones, quibus religiosorum Sodalium, procellosa hac aetate, sollicitatur vita ».

Directores maxime curarunt ut pietatis et orationis spiritu Congressus labores imbuerentur. Ad hoc etiam ordinavit ut in Maioribus Basilicis renovarentur consecratio ad perfectionem (ad Basilicam S. Petri), ad apostolatum (ad S. Pauli), Immaculato Cordi Mariae (ad S. Mariae maioris) et S. Cordi Iesu (ad S. Ioannis). In eumdem finem et ad fovendam etiam mutuam caritatem, sessiones matutinae incipiebant cantu Himni « Ubi caritas et amor...», omnes autem sessiones invocatione Spiritus Sancti et SS. Fundatorum, ut infra dicemus [1].

6. *Congressus Directio et executio.* Supremam Congressus directionem tenebant E.mus Cardinalis C. Micara, Praefectus S. C. de Religiosis et Exc.mus P. A. Larraona, C. M. F. eiusdem S. C. Secretarius. Hi adiuvabantur a tribus Commissionibus, sub titulis: Commissio promovens, Secretaria, Commisio coadiutrix.

a) *Commissio promovens* componebatur sequentibus egregiis viris: Rev.mo Dom M. Quatember, Abb. Gen. S. O. C.; R. P. Agathangelo a Langasco, O. F. M. Cap.; R. P. F. Antonelli, O. F. M.; R. Dom U. Beste, O. S. B.; R. P. I. Creusen, S. I.; R. P. C. Damen, C. SS. R.; R. P. R. Garrigou-Lagrance, O. P.; R. P. S. Goyeneche, C. M. F.; R. P. Ae. Hermann, S. I.; R. P. A. Perbal, O. M. I.; R. Sac. A. Pugliese, S. D. B.; R. P. G. Roschini, O. S. M.

---

[1] « *La sua natura.* Nè Concilio, nè S. Congregazione, nè Capitolo, ma settimana di studio e di preghiera. a) *Di studio,* per chiarire e approfondire le idee, per far fronte a deviazioni pericolose, per dare e ricevere preziose e pratiche informazioni, per offrire ai nostri Superiori materiale contrastato, dati di fatto utilissimi per poter governare, legiferare, ardire. b) *Di preghiera,* per *rinfrancarci,* per edificare e per edificarci, per sentire ad un tempo la *premessa dell' umiltà,* verace e sincera: « Nisi Dominus aedificaverit... » « Nisi Dominus custodierit... in vanum... » « Non est qui plantat... »: e la sicurezza della fiducia: « Omnia possum... » « Si quis pro nobis... » (Ex oratione finali Exc.mi Secretarii).

b) *Secretariam* constituebant: Directio. R. P. Agath. a Langasco, O. F. M. Cap., Secretarius Generalis Congressus. A Studiis: R. Sac. S. Canals, Operis Dei; R. P. E. Gambari, S. M. M.; R. P. I. Gredler, C. SS. R.; R. P. A. Gutiérrez, C. M. F.; R. P. I. Mandelli, I. M. C.; R. P. F. Muzzarelli, S. S. P.; R. P. Polycarpus ab Iraizoz, O. F. M. Cap.

His pro parte executiva adiuncti sunt diligentissimi viri: R. P. Bianchini S. D. B.; R. P. Borello, S. S. P.; R. P. Crescentius a Jesi, O. F. M. Cap.; R. P. Ephrem a Matre Dei, O. C. D. et Isidorus a S. Elia, O. C. D.

c) In adiutorium Supremae Directionis constituebatur coadiutrix *Commissio Consultorum* virorumque peritorum: *Pro lingua italica:* R. P. C. Berutti O. P. et R. P. C. Sartori, O. F. M. *Pro lingua anglica:* R. Dom U. Beste, O. S. B. et R. P. T. Bouscaren, S. I. *Pro lingua germanica:* R. P. Ae. Hermann, S. I. et R. Sac. A. Stickler, *S. D. B. Pro lingua gallica:* R. P. I. Creusen, S. I. et R. P. I. Rousseau, O. M. I. *Pro lingua hispanica:* R. P. S. Goyeneche, C. M. F. et R. P. Victor a Iesu, *O. C. D.*

Istorum munus praecipuum erat in linguam latinam vertere, restricte tamen, ea quae in linguis nationalibus supra relatis dicta fuerant, sive in relationibus sive in disceptationibus. Experientia docuit hanc Commissionem fere innecessariam fuisse, quia relatores fere omnes lingua latina usi sunt, vel saltem italica quam maior pars calere videbatur. Lingua officialis erat lingua latina, permissis tamen aliis nationalibus.

d) Denique, optime de Congressus praeparatione et executione merita sunt sequentia Instituta: Officiales S. C. de Religiosis, pro eorum propria competentia; Commissio Centralis pro Anno Sancto (Secretaria, Officium sic dictum informationis seu preli, etc.); Administratio Vaticana (Praesidentia, Officium radio-diffusionis, Servitia technica, etc.); Instituta religiosa, sive virorum, v. gr. Pia Societas S. Pauli, quae propriis expensis providit impressioni tum programmatum tum aliquarum orationum Congressus, sive mulierum, maxime Sorores Nostrae Dominae (Namur), pro servitio dactilographico vel polygraphico.

7. *Relatorum, scriptorum et praedicatorum selectio.* Exitus Congressus magna ex parte pendebat ex prudenti selectione eorum qui programmatis themata, vel coram vel saltem in scriptis, evolvere debebant. Id semper prae oculis habuit Suprema Congressus Directio; quapropter accuratas per longum tempus sumpsit informationes, ut in re tanti momenti, aptiores, in quantum possibile esset, pro singulis argumentis seligerentur personae.

Practice ita procedebatur: a) Ubi aliqua persona erat Directioni apprime nota ad aliquod argumentum optime evolvendum, ipsa seligebatur; b) quando pro certo argumento dubitabatur vel nesciebatur quis aptior esset, Superioribus Generalibus simpliciter postulabatur ut aliquem speciatim aptum a sua Religione designare et Directioni communicare dignarentur; c) Directio amplissimam om-

nium religiosorum cooperationem optabat, et characterem quam maxime universalem et oecumenicum Congressioni dare cupiebat: quapropter relatores, scriptores et praedicatores, ex omnibus Religionibus et, quantum fieri poterat etiam nationibus, quaerebantur [2]; d) designatio singulis communicabatur per Procuratorem et Superiorem Generalem [3]; e) ex regula generali, religiosi designabantur; at non pauci, sive Episcopi sive sacerdotes e clero saeculari immo et laici, invitati sunt, ut sua peculiari de aliqua re peritia, Religiosorum Congressum illustrare ne dedignarentur.

8. *Relatores, scriptores, praedicatores.* Praedicatores seligebantur pro pietatis exercitiis, tum religiosorum virorum tum mulierum, prout infra describetur. Pro argumentis studii evolvendis, duplex forma adhibenda erat *oralis* nempe et *scripta.* Pro singulis videlicet argumentis designabatur unus qui dissertationem seu orationem coram proferre debebat, et plures alii qui super eodem argumento scriptam relationem conficere rogabantur. Hoc ita factum fuit, ni fallimur, ex pluribus rationibus: a) ut amplior esset et omnium adstantium informatio et religiosorum cooperatio; b) ut specialis scientifica, experimentalis, technica praeparatio quae in pluribus Directioni notis religiosis aderat, Congressui et S. Congregationi utilis esse poterat, et tandem omnibus qui futura Acta Congressus lecturi sunt; c) ut si casus ferret, veluti si orator principalis casu deficeret, in promptu essent de eadem re plures dissertationes, quibus Directio uti poterat, ne Sessionum cursus et ordo interrumperetur aut quomodocumque turbaretur.

Summatim, non minus quam 480 dissertationes in programmate praevidebantur; 66 scilicet orales, 414 scriptae. Oratores sacri 23 numerantur.

9. *Species seu formae dissertationum.* Saepe diximus duas dissertationum species statutas fuisse: orales et scriptas. *Orales* dividebantur in *Relationes*, *Communicationes* et *Argumenta.*

---

[2] « Una delle preoccupazioni più vive e sincere che presiedette la preparazione del Congresso fu la sua cattolicità e la sua ecumenicità. Che nessuno di quanti potevano dentro, e fuori anche degli Stati di perfezione darci un contributo utile fosse escluso o dimenticato » Ex oratione finali Exc.mi Secretarii).

[3] Nec sufficit: dum programma communicabatur die 18 aug. 1950 singulis relatoribus et scriptoribus per Superiores Generales, in litteris ad ipsos Superiores Generales dicebatur: « 1. La P. V. R. è vivamente pregata di voler disporre che, nel più breve tempo possibile, siano informati i relatori e gli scrittori dei temi, il cui svolgimento orale o scritto è stato affidato a membri della sua religione, o società o istituto secolare. - 2. La P. V. R. è libera di cambiare il nome dei relatori o degli scrittori. Solo la prego caldamente di voler informarne... - 3. La P. V. R. ha pure facoltà di scegliere altri soggetti del suo Istituto per dare ad essi l'incarico di scrivere sugli argomenti per i quali avessero speciali attitudini ».

a) *Relatio* erat dissertatio prima hora sessionis matutinae coram pronuntianda, qua oratori generale argumentum sibi propositum sub omnibus suis adspectibus, doctrinali modo, evolvendum commendabatur.

b) Sequebantur in eadem sessione quatuor *Communicationes* orales, in quibus singuli oratores aliquem Relationis peculiarem adspectum tractare debebant. In exemplum sit prima sessio Congressus. Relatio: « Accommodata renovatio statuum perfectionis in suis essentialibus et communibus elementis ». — Communicatio 1: « Accommodata renovatio statuum perfectionis, in elementis theologicis et asceticis quibus professio consiliorum evangelicorum innititur ». — Communicatio 2: « Accommodata renovatio statuum perfectionis quoad vitam communem ». — Communicatio 3: « Accommodata renovatio st. perf. quoad constitutionem, regimen, disciplinam ». — Communicatio 4: « Necessitas renovationis statuum perfectionis prout a laicis persentitur ». — Haec ratio argumenta proponendi hoc, inter alia, commodum habebat: quod qui per plures horas sessionibus adsistere non valerent, poterant, relicta aliis profundiore rerum investigatione, summa saltem praecipuarum quaestionum lineamenta cognoscere.

c) *Argumentum.* Hoc nomine designantur in libello Congressus, dissertationes orales in sessione vespertina habendae. Distinguuntur a relationibus et communicationibus ex eorum charactere praevalenter technico et practico. Ex. gr. in sessione vespertina primae diei, Argumentum primum fuit: « Accommodata renovatio sacri Instituti Monialium: quaestiones practicae ». Argumentum secundum: « Canonicae et practicae quaestiones de paupertate religiosa ».

d) *Scriptae communicationes* hoc peculiare habent quod non exigant totius propositionis completam tractationem; ab invitatis quaerebatur tantum vel declaratio alicuius particularis argumenti seu rationis, vel alicuius specialis adspectus quaestionis illustratio, vel personalis experientiae declaratio, etc.; non exclusa completa tractione si ipsis placuerat.

10. *Triplex adstantium ordo* admissus est. Pro singulis ordinibus peculiares scidulae typis imprimi debebant, et singulis adstantium categoriis, specialis locus in aula sessionum reservandus erat. Hi ordines erant: *Superiores Generales* eorumve repraesentantes seu *Delegati*, a Superioribus Generalibus *Commendati*, tandem *Auditores*. Superiores Generales eorumque Delegati et Commendati, *membra* Congressus proprie erant, vocem habebant in Congressu, discussionesque promovere poterant; simplices Auditores nonnisi

audiendi causa sessionibus admittebantur. Isti et illi a propriis Superioribus vel a S. Congregatione designandi erant ab eisque scidulam ingressus seu iuris, adsistendi directe recipiebant. Omnes tamen, sive difficultates sive desiderata, scripta forma, libere proponere permittebantur.

11. *In immediatam Congressus praeparationem*, post innumeras fere Praesidentiae cum Secretaria coadunationes, aliquae speciales sessiones, praeside Exc.mo Secretario S. Congregationis de Relig., celebratae fuerunt: quarum prima Commissionis promoventis (die 9 nov.), altera Commissionis coadiutricis pro censura relationum, versione in linguam latinam, etc. (11 nov.), tertia Superiorum Generalium (20 nov.), ultima Oratorum seu eorum qui aliquam relationem, communicationem vel argumentum oretenus evolvendum, demandata habebant (25 nov.).

12. Ad praecavenda denique vel medenda *falsa circa Congressus iudicia*, plura in ipsius verum scopum longe lateque diffundenda et divulganda parata fuerunt; et imprimis — interne — litterae circulares ad Supremos Religionum et Societatum Moderatores, deinde — externe — diversa in foliis periodicis catholicis nuntia et informationes (cfr. in exemplum « *Osservatore Romano* », 27 Oct., 25 Nov.); maxime autem colloquium Rev.mi P. Agathangeli a Langasco, O. F. M. Cap. Secretarii Congressus aliorumque membrorum Commissionis coadiutricis cum diuturnariis scriptoribus (« *conferenza stampa* ») habitum in sede Commissionis Centralis Anni Sancti die 13 novembris.

13. *Generalis sessionum ordo.* Duplex in die sessio celebrabatur: *matutina* et *vespertina.*

Pro utrisque: a) Inter adstantes distribuebantur folia, restrictum relationum et communicationum in sessione exhibendarum, continentia. Haec folia utilissima reputabantur et magni ab omnibus aestimabantur; ipsis enim non solum commode omnibus datum erat oratores sequi, etiam cum lingua extera utebantur, sed hoc modo praeterea ipsis summam et compendium tum argumentorum tum conclusionum possidere licebat. 3000 vel 4000 singulis diebus distributa sunt folia; summatim 50.000 circiter.

b) Sessiones omnes incipiebant invocatione Spiritus Sancti et Matris Divinae Sapientiae. Recitabatur insuper ab E.mo Praeside specialis oratio pro Congressu composita [4]. Quotidie in sessione ma-

[4] *Oratio pro Congressu Religiosorum.* Deus qui religiosas Familias in Ecclesiae solamen suscitasti, infunde nobis spiritum Fundatorum nostrorum, ut intercedente Virgine Matre Maria gloriose in coelum assumpta, universali Christi Tuí Regno perfecte servire valeamus. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

tutina canebatur ab omnibus adstantibus, choro cantorum praeeunte, Himnus « *Ubi caritas et amor, Deus ibi est...* ».

c) Difficultates ab omnibus *in scriptis* proponi poterant. Hoc ius, in scriptis difficultates proponendi, omnibus Congressioni adscriptis datum, frequenter ipsi exercuerunt. Scripta, difficultates characteris potius doctrinalis continentia, saepe alicui viro specialiter in re perito — generatim inter S. Congregationis Consultores delecto tradebantur, — ut in proxima aliqua sessione difficultates propositas solveret. Ceteris scriptis, in quibus vel animadversiones, vel practicae observationes vel desiderata proponebantur, ipse Secretarius Congressus, Rev.mus P. Agathangelus a Langasco, respondebat. In casibus tandem gravioribus vel quando mentem S. Congregationis declarare oportebat, ipse S. Congregationis Exc.mus Secretarius verbum faciebat.

d) Discussiones *orales*, quae moderatissimae sane fuerunt, tantummodo Superiores Generales eorumve Delegati et Membra Congressus, promovere permittebantur, exclusis ab hoc iure Auditoribus: non enim prudens visum fuit omnibus indiscriminatim vocem concedere. Harum discussionum moderatio Praesidentiae membris reservata manebat; hoc autem ita factum est, ni fallimur, sive ad evitandum, ut ita dicam, « personalismum » in quaestionibus discutiendis et resolvendis — quod maxime in hac Congressuum parte locum habere solet —, sive ad cavendum periculo ne res saepe adeo graves privatis opinationibus relinqui viderentur, sive tandem quia invenirentur relatores, ex tam variis nationibus provenientes, qui difficultate laborarent in quaestionibus extemplo enodandis et in polemica discussione digne, prout decebat, moderanda.

II. Congressus ordo et evolutio.

14. Congressus initium habuit die 26 nov. sacro ritu in ecclesia S. Andreae « Della Valle », concurrentibus utriusque sexus religiosis. Continuo habita est sessio inauguralis in aulis palatii Cancellariae Apostolicae. Habita inaugurali oratione ab E.mo Card. Praef. S. C. de Religiosis, et lectis Litteris autographis R. Pontificis ad Praesidem Congressionis directis, praelectionem (prolusione) dixit E.mus Card. Piazza, O. C. D., Sacrae C. Concistorialis Secretarius. Inaugurali sessioni adfuerunt E.mi Principes Card. Pizzardo, S. C. Seminariorum Praefectus et Masella Pro-Praef. S. C. Sacramentorum, plurimique Archiepiscopi, Episcopi, Abbates et Superiores Generales.

15. *Exercitiorum pietatis ordo.*

Dies Congressus, non solum ad STUDIUM verum etiam ad ORATIONEM consecrabantur; quapropter.

a) — Die 26, hora 15,30, solemni sacro ritu in ecclesia S. Andreae « Della Valle » incipiebat Congressus, concurrentibus utriusque sexus religiosis.

b) — *Pro religiosis viris omnibus*, quotidie, ante Sessionem matutinam, hora 7,30 in ecclesia S. MARIAE vulgo « in Vallicella », celebrabatur Missa pro felici exitu Congressus; postea proponebatur meditatio. Hora autem 17,30, in eadem ecclesia Benedictio Eucharistica impertiebatur, praemissis Mariali Rosario et sermone circa fructus, ex Congressus argumentis in die tractatis, percipiendos.

Pro religiosis mulieribus, in ecclesia Sancti IGNATII, hora 7,30 celebrabatur Missa, opportuna adiecta meditatione. Item in eadem ecclesia hora 15,30, Eucharistica Benedictio impertiebatur, praemissis Mariali Rosario et pia exhortatione.

c) — Diebus 2 et 3 Decembris *omnes simul religiosi viri* visitationes ss. Basilicarum peragebant, ad Sacrum Iubilaeum lucrandum, prout sequitur:

Die 2 Decembris, religiosi omnes coadunantur in area Petriana et hora 14,30 processionaliter incedunt in *Basilicam Petri.*

Exc.mus GILLA VINCENTIUS GREMIGNI, M. S. C., Episcopus Teramensis, sermonem dixit, eoque praeeunte adstantes omnes publice propriam professionem religiosam generica formula indulgentiis ditata, renovarunt [5].

— *Die 3 Decembris*, religiosi omnes coadunantur ad *S. Pauli*, et hora 10 processionaliter in Basilicam incedunt.

Exc.mus GUIDO A. BENTIVOGLIO, S. O. C., Archiepiscopus Laodiceae in Syria, Coadiutor Catanensis, sermonem dicit.

Post sermonem formula consecrationis ad apostolatum publice recitata fuit [6].

— *Eadem die 3 Decembris*, religiosi omnes, post meridiem, coadunantur ad *S. Mariae Maioris Absidem*, et hora 15 processionaliter in

---

[5] « Cor Iesu, caritatis victima, fac me Tibi hostiam viventem, sanctam, Deo placentem ».

[6] *Atto di consacrazione all' apostolato. O Gesù, Divino Maestro, noi tutti, in un momento dei più indimenticabili della nostra vita, sentiamo nel fondo del nostro cuore il vostro invito di predilezione ad essere nel mondo gli assertori della vostra dottrina, non soltanto con la parola, ma prima di tutto con l' esempio della nostra vita.*

Al vostro invito, o Gesù, noi abbiamo corrisposto e vogliamo corrispondere fino alla morte, con rinnovato impegno e fervore, per essere strumenti più efficaci del vostro Regno, docili e obbedienti, ora più che mai, alla voce e alle divettive del Vostro Vicario in terra.

E pertanto, dopo aver rinnovato sulla tomba dell' Apostolo Pietro l' atto di fede e la nostra consacrazione a Dio, qui sulla tomba dell' Apostolo Paolo, formuliano l' atto della nostra consacrazione all' apostolato.

Fate, o Salvatore Divino, che in questo mondo sempre più deviato e contaminato dalla triplice concupiscenza, tutti noi, ciascuno di noi, sappia essere un continuatore dell' opera vostra sulla terra. Così sia.

Basilicam incedunt. Tria milia circiter religiosorum virorum huic solemni sacrae supplicationi intererunt; praeeunte E.mo Card. Praefecto S. C. De Religiosis et Exc.mo Secretario P. Larraona et comitantibus officialibus eiusdem S. Congregationis.

Exc.mus Ioannes B. Peruzzo, C. P., Episcopus Agrigentinus, sermonem dicit.

In eadem Basilica, omnes qui statum perfectionis profitentur, Immaculato Cordi B. M. Virginis solemniter consecrantur [7].

His peractis, omnes processionaliter ad Basilicam Lateranensem incedunt, ubi hora 17 sermonem dicit Exc.mus Fr. Hieronymus B. Bortignon, O. F. M. Cap., Episcopus Patavinus.

In eadem Basilica, omnes qui statum perfectionis profitentur, Sacratissimo Cordi Iesu solemniter consecrantur [8].

d) Die 7 Decembris hora 16 sacro solemni ritu clauditur Congressus apud Ecclesiam SS. Apostolorum, magno utriusque sexus religiosorum

---

[7] CONSECRATIO IMMACULATO CORDI B. MARIÆ VIRGINIS.

O Maria, Virgo Sanctissima, Mater Dei et Mater nostra, quæ in Templo Te totam Deo sacratam voluisti, ac in Incarnationis mysterio hominum saluti Te devovisti, divinæ redemptionis socia effecta, Te agnoscimus ac veneramur perfectum animarum Deo sacratarum exemplar ac magistram, quæ in Corde tuo verba Filii tui, consilia perfectionis, conservabas ac jugiter conferebas. A Corde tuo, omnium gratiarum traduce, gratiam quoque vocationis nostræ et apostolatus accepisse profitemur.

Ideo Cordi tuo Immaculato nos consecramus nostrasque Familias religiosas devovemus. Tibi per quam est nobis vita perdita data, integram nostram vitam religiosam et apostolicam concredimus, ut sub materno Cordis tui patrocinio ductuque, in Christo Jesu abscondita, ferventius in dies vigeat, crescat atque in omni bono opere fructificet.

Concede, igitur, nobis religiosas Cordis tui virtutes perfecte imitari: humilitatem ac paupertatem, puritatem et oboedientiam, maxime flagrantissimam caritatem qua Deum, fratres nostros cunctosque proximos perfecte diligamus.

Descendat iugiter super nos materna Cordis tui benedictio qua vocationi respondentes impendere nos et superimpendi studeamus pro Christi regno ubique constabiliendo atque ulterius diffundendo.

Adveniat, quaesumus, Mater nostra amantissima, regnum Cordis tui Immaculati ut quantocius adveniat quoque regnum Sacratissimi Cordis Filii tui Iesu Christi, cui est gloria, laus et honor nunc et in æternum. Amen.

[8] CONSECRATIO SACRATISSIMO CORDI IESU EORUM OMNIUM QUI PERFECTIONEM EVANGELICAM PROFITENTUR.

O Iesu, Fili Dei, qui in caritate perpetua homines dilexisti, exaltatus in Cruce eos ad Te trahere voluisti et sacramento amoris eos, Tibi lucrari intendis, peculiarem tuam in nos benevolentiam humillime agnoscimus. Tu nos vocasti ad Te sequendum in via perfectionis evangelicæ et in opera redemptionis fratrum nostrorum. Ecce denuo, benignæ voluntati tuæ respondentes, nos totos tuo adorabili Cordi devovemus,

Regnet perfecta caritas in Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis nostris. Viribus unitis, ubique gentium laboremus ut cognoscatur tua misericordia in peccatores et pauperes.

concursu. Post recitationem Sanctissimi Rosarii, E.mus Cardinalis Praefectus S. Congregationis de Religiosis trinam eucharisticam benedictionem adstantibus dabat, et Himnum *Te Deum* in gratiarum actionem intonabat, omnibus religiosis alternatim cum choro canentibus.

16. *Sessionum Ordo.*

Duplex in die sessio celebrabatur: *matutina* et *vespertina.*

1. *Sessio matutina incipiebat hora 9*, et tribus momentis, brevi intervallo separatis, hac ratione absolvebatur:

a) Primum fiebat Relationis completa expositio, quae intra 40 minuta concludenda erat.

b) Sequebantur quatuor Communicationes, quibus scilicet perpendebantur graviores rei adspectus, difficultates, applicationes. Singulis Communicationibus 20 minuta concedebantur.

c) Claudebatur sessio moderata discussione, synthetica omnium recapitulatione, et conclusionum formulatione.

Sessio matutina ita erat in partes ordinate distributa ut Relatio, Communicationes et discussiones autonomae aliqua ratione essent. Brevi intervallo semper erant separatae, ita ut, si quis tantum priori parti (relationi), vel primae aut alterae communicationi assistere vellet egredi posset.

2. *Sessio vespertina incipiebat hora 16.* Nonnullae quaestiones characteris peculiaris penitius tractabantur hac ratione:

a) Hora 16 fiebat expositio prioris Argumenti, per 40 minuta; sequebatur libera et ordinata discussio per 20 minuta.

b) Hora 17 exponebatur alterum Argumentum, item per 40 minuta; deinde discussio ut supra.

Animadversio. — Aliae speciales sessiones, ad argumenta tractanda quae ad singulas Religiones, Societates, Instituta saecularia pertinent, promoveri poterant, admonita Secretaria Congressus.

Et revera sessiones particulares habitae sunt v. gr. a Fratribus qui christianae iuventutis institutioni incumbunt, et alia ad executionem recentis Constitutionis Apostolicae « Sponsa Christi », promovendam.

17. *Thematum ordo.*

Themata alia erant pro meditationibus et sacris orationibus, ad religiosos viros vel feminas separatim faciendis in diversis diversarum Religionum ecclesiis, alia pro sessionibus studii in aulis Can-

---

Aufer a nobis spiritum proprietatis, concupiscentiam carnis, superbiam mentis.

Fac ut robur quotidie haustum e sacrificio eucharistico nobis vires addat ad mortificationem sensuum, in spiritu poenitentiæ et reparationis, ad recollectionem animi et unionem Tecum in oratione et labore.

Sit vita nostra holocaustum fidelitatis quo obligationes status nostri perfecte adimpleamus ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis, ad laudem mansuetudinis et humilitatis tuæ, ad decus Matris nostræ Ecclesiæ, ad salutem, pacem et felicitatem universi generis humani. Amen.

cellariae Apostolicae celebrandis. Forsan non inutile aestimabitur, et illa et ista breviter enuntiare, allatis etiam nominibus eorum qui alia vel alia commendata habebant. Ita facile perspici poterit, quomodo practice Congressus evolveretur, et ratio qua sive argumentorum selectio sive personarum designatio facta fuerit: attentis nempe diversis scholis spiritualitatis.

I. - MEDITATIONUM THEMATA

Pro religiosis viris: In ecclesia S. Mariae « in Vallicella », hora 7,30.

27 Novembris. *Vocatio religiosa.* R. P. Marianus a Torino, O. F. M. Cap.
28 Novembris. *Perfectio religiosa.* R. P. R. Lombardi, S. I.
29 Novembris. *Vota religiosa.* R. Sac. A. Castano, S. D. B.
30 Novembris. *Paupertas religiosa.* R. P. A. Lazzeri, O. F. M.
1 Decembris. *De voto et virtute castitatis.* R. P. Caresana, ex Orat. Ph.
2 Decembris. *Obedientia religiosa.* R. P. S. Goyeneche, C. M. F.
3 Decembris. Peregrinatio ad ss. Basilicas Iubilaei acquirendi causa.
4 Decembris. *Constitutiones, regulae, ordinamenta.* R. P. C. Salza, C. SS. R.
5 Decembris *Ascesis vitae religiosae: meditationes, orationes,* etc. R. P. A. Ciappi, O. P.
6 Decembris. *Apostolatus religiosorum.* Rev.mus P. I. Alberione, Sup. Gen. S. S. P.

In pietatis *esercitiis vespertinis,* hora 17,30, sermonem dicunt iidem qui eadem die mane sermonem habuerunt; sed sermonis argumentum libero relinquitur eorundem arbitrio.

Pro religiosis mulieribus: In ecclesia Sancti Ignatii, hora 7,30.

27 Novembris. *Vocatio religiosa.* R. P. O. Marchetti, S. I.
28 Novembris. *Perfectio religiosa.* R. P. I. M. Le Bail, S. M. M.
29 Novembris. *Apostolatus religiosarum.* R. P. R. Lombardi, S. I.
30 Novembris. *Vota religiosa.* R. P. C. Berti, O. S. M.
1 Decembris. *Paupertas religiosa.* R. P. Hyacintus a SS. Sacramento, C. P.
2 Decembris. *De voto et virtute castitatis.* R. P. I. Scognamillo, C. M.
3 Decembris. *Obedientia religiosa.* R. P. C. Irbicella, O. M. I.
4 Decembris. *Constitutiones, regulae, ordinamenta.* Rev.mus Dom E. Caronti, Abbas, O. S. B.
5 Decembris. *Vitae interioris necessitas et natura.* R. P. Gabriel a S. M. Magdalena, O. C. D.
6 Decembris. *Ascesis vitae religiosae.* R. P. I. M. Clerici, C. S. P.

Missam celebrat et S. Communionem administrat E.mus Card. Micara, Praefectus S. C. Religiosorum.

In pietatis *exercitiis vespertinis*, hora 15,30, sermonem dicunt iidem qui eadem die mane sermonem habuerunt; sed sermonis argumentum libero relinquitur arbitrio ipsorum.

II. - SESSIONUM THEMATA

Die 26 Novembris: hora 16.

Sermo auspicalis Em.mi Cardinalis Clementis Micara, S. C. de Religiosis Praefecti.

Prolusio Em.mi Cardinalis Adeodatus Ioannes Piazza, S. C. Consistorialis Secretarii.

Sectio I: Statuum perfectionis accommodata renovatio quoad vitam et disciplinam.

Die 27 Novembris.

Sessio matutina

Relatio I: Accommodata renovatio statuum perfectionis in suis essentialibus et communibus elementis. R. P. R. Lombardi, S. I. De hac re praeterea scriptam relationem conficere rogabantur septem aliae personae.

Communicatio I: Accommodata renovatio statuum perfectionis, in elementis theologicis et asceticis quibus professio consiliorum evangelicorum innititur. R. P. R. Garrigou-Lagrange, O. P. De hac re praeterea scriptam relationem conficere rogabantur alii septem.

Communicatio 2: Accommodata renovatio statuum perfectionis quoad vitam communem. Rev.mus Dom P. Basset, Abbas, O. S. B. De re scribebant alii septem.

Communicatio 3: Accommodata renovatio statuum perfectionis quoad constitutionem, regimen, disciplinam. R. P. I. Creusen, S. I. De re aliis undecim scribentibus.

Communicatio 4: Necessitas renovationis statuum perfectionis prout a laicis persentitur. Ill.mus D. I. Dossetti. De re scribebant alii octo.

Sessio vespertina

Argumentum I: Accommodata renovatio sacri instituti Monialium: quaestiones practicae. R. P. I. Rousseau, O. M. I. De re aliis quinque scribere invitatis.

Argumentum 2: Canonicae et practicae quaestiones de paupertate religiosa. R. P. G. Escudero, C. M. F. Alii octo de hoc argumento scribere invitabantur.

Die 28 Novembris.

Sessio matutina

Relatio II: Accommodata renovatio statuum perfectionis in suis elementis specificis. Exc.mus A. Tabera, C. F. M., Episc. Albasiten. Ipsum

tamen supplere debuit R. P. Gr. M. de Antoñana, C. M. F. Argumentum suis scriptis illustrare rogabantur aliae quinque personae.

Communicatio 1: Prospectus diversarum formarum professionis consiliorum evangelicorum. R. Sac. A. Pugliese, S. D. B. Aliis sex de re scribentibus.

Communicatio 2: Accommodata renovatio legislationis canonicae communis relate ad status perfectionis. R. P. I. Bergh, S. I. Aliis sex de re scribentibus.

Communicatio 3: Accommodata renovatio constitutionum iurisque particularis statuum perfectionis. R. P. E. Gambari, S. M. M. Aliis quinque de re scribentibus.

Communicatio 4: Relationes inter status canonicos perfectionis et alios status in Ecclesia. R. P. F. Regatillo, S. I. Scriptores quinque.

Sessio vespertina

Argumentum 1: Quaestiones canonicae circa bona ecclesiastica religiosa. R. P. A. Gutiérrez, C. M. F. Scriptores octo.

Argumentum 2: Quaestiones practicae circa administrationem bonorum. Ill.mus D. E. Garuffi, *ex Adm.* S. C. V. Scriptores quinque.

Die 29 Novembris.

Sessio matutina

Relatio III: Traditio et sensus renovationis relate ad elementa tam communia quam peculiaria statuum perfectionis. R. P. Agathangelus a Langasco, O. F. M. Cap. Scriptores octo.

Communicatio 1: Obligatio tendendi ad perfectionem in suis diversis formis, canonice, moraliter, et ascetice illustrata R. P. A. Van Biervliet, C. SS. R. Scriptores quatuor.

Communicatio 2: Vita contemplativa, vita activa, vita mixta quoad doctrinam et praxim in hodiernis statibus perfectionis. R. P. Gabriel a S. M. Magdalena, O. C. D. Scriptores sex.

Communicatio 3: Specimina practica renovationis harmonicae sub praecipuis respectibus vitae perfectionis. R. P. A. Plé, O. P. Scriptores septem.

Communicatio 4: Fidelitas et renovatio in systemate ordinario mediorum spiritualium ad perfectionem acquirendam, uti sunt v. g. meditatio, examina, preces in communi, etc. R. P. R. Omez, O. P. Scriptores septem.

Sessio vespertina

Argumentum 1: Instituta saecularia ut status recognitus perfectionis. R. P. I. Grendel, S. V. D. Eum tamen supplere debuit. R. P. A. Gutiérrez, C. M. F. Scriptores septem.

Argumentum 2: Constitutio, formae diversae, institutio, regimen, apostolatus Institutorum saecularium. R. Sac. A. Del Portillo, Operis Dei. Scriptores quatuor.

Die 30 Novembris.

Sessio matutina

Relatio IV: Natura et gratia in statibus perfectionis: naturae purificatio et elevatio; criteria secura et completa quoad abnegationem, humilitatem, mortificationem. R. P. C. Boyer, S. I. Scriptores septem.

Communicatio 1: Personalitas et personalismus in statibus perfectionis. Rev.mus P. I. Bozzetti, Sup. Gen. I. C. Scriptores sex.

Communicatio 2: Conceptus genuinus oboedientiae religiosae. R. P. Ioannes Maria a S. Fam., C. P. Scriptores septem.

Communicatio 3: Usus rationalis et practicus in statibus perfectionis mediorum quae hodiernus progressus suppeditat sive ad laboris facilitatem ac perfectionem sive ad vitae commoditates. Rev.mus P. He. Kramer, Sup. Gen. C. PP. S. Scriptores octo.

Communicatio 4: Hodierna inventa: ephemerides, radiophonia, cinematographia, telephonium, televisio etc., ut subsidia aut pericula vitae perfectionis. R. P. Solano a Zurich, O. F. M. Cap. Scriptores sex.

Sessio vespertina

Argumentum 1: Formae aggregationis, unionis, subiectionis, inter diversas Religiones, Societates et Instituta saecularia. R. P. E. Wagner, O. F. M. Scriptores quinque.

Argumentum 2: Diversae formae et gradus interventus S. C. de Religiosis in vita singularum Religionum, Societatum, Institutorum. R. P. I. Mandelli, I. M. C. Scriptores septem.

Sectio II: Statuum perfectionis accommodata renovatio quoad institutionem et formationem.

Die 1 Decembris.

Sessio matutina

Relatio V: Alumnorum institutio et formatio integra, harmonica et adaequata in statibus perfectionis. R. Sac. D. Corallo, S. D. B. Scriptores quatuor.

Communicatio 1: Pueri et adolescentis psychologia quoad vitam perfectionis. Ill.mus D. G. Nosengo. Scriptores sex.

Communicatio 2: Collectio ac selectio vocationum. De « Opere Vocationum Religiosarum ». R. P. G. Lievin, C.SS.R. Scriptores undecim.

Communicatio 3: Ratio conscientiae et directio spiritualis in statibus perfectionis. R. Sac. Ae. Fogliasso, S.D.B. Scriptores novem.

Communicatio 4: Relationes inter institutionem et formationem alumni eiusque physicam et psychicam evolutionem. Exc.mus P. A. Gemelli, O. F. M. Scriptores octo.

Sessio vespertina

Argumentum 1: Qua ratione et quibus industriis provideri potest formationi et institutioni Directorum spiritualium, Praefectorum seu Magistrorum spiritus aliorumque qui educationi et regimini alumnorum praesunt. R. P. A. Langlais, O. P. Scriptores quinque.

Argumentum 2: Subsidia quae provenire possunt ex diversis scientiis in selectione vocationum. R. P. Marcellinus a Castelvi, O. F. M. Cap. Scriptores quinque.

Die 2 Decembris.

Sessio matutina

Relatio VI: Criteria methodologica quibus educatio clericalis, religiosa, apostolica sodalium statuum perfectionis informari debet. R. Sac. C. Leoncio da Silva, S. D. B. Scriptores quatuor.

Communicatio 1: Scholae apostolicae et Postulatus: diversi Scholarum et Postulatuum typi recepti; educatio quae in ipsis impertienda est. R. P. F. Tinivella, O. F. M. Scriptores novem.

Communicatio 2: Institutio et educatio ad vitam perfectionis in Novitiatu. R. P. Adeodatus a S. Teresia a Iesu Inf. O. C. D. Scriptores octo.

Communicatio 3: Institutio religiosa clericalis et apostolica perdurante professione temporaria et studiorum curriculo. R. P. E. Zetti, C.SS.R. Scriptores octo.

Communicatio 4: Sacrae ordinationes et initiatio ad ministeria. Formae et typi diversi sic dictae tertiae probationis, novitiatus apostolici, anni perfectionis. R. P. C. Albers, O. M. I. Scriptores quinque.

Sessio vespertina

Argumentum 1: Fratres coadiutores: functio, collectio, selectio, institutio religiosa et technica. R. P. I. Marchal, C.SS.R. Scriptores quinque

Argumentum 2: Relationes iuridicae, disciplinares, asceticae et practicae inter vitam religiosam et ministeria paroecialia et missionalia.
A) Quoad paroecias: priori dimidia hora: R. P. I. Fernandez, O. R. S. A.
B) Quoad Missiones: altera dimidia hora: R. P. Pius a Mondreganes, O. F. M. Cap. Scriptores septem.

Die 4 Decembris.

Sessio matutina

Relatio VII: Institutio et educatio intellectualis et culturalis in statibus perfectionis. R. P. V. Marcozzi, S. I. Scriptores sex.

Communicatio 1: Character publicus collegiorum et studiorum ecclesiasticorum in Religionibus, Societatibus et Institutis saecularibus. R. P. I. B. Fuertes, C. M. F. Scriptores quinque.

Communicatio 2: Regimen studiorum ecclesiasticorum: centrale, medium, locale. R. P. Zacharias a S. Mauro, O. F. M. Cap. Scriptores sex.
Communicatio 3: Ratio et curriculum studiorum ecclesiasticorum in statibus perfectionis. R. P. R. Arnou, S. I. Scriptores septem.
Communicatio 4: Relationes inter ordinem studiorum statuum perfectionis et studiorum societatis civilis. R. P. F. Antonelli, O. F. M. Scriptores octo.

Sessio vespertina

Argumentum 1: Scholae internae et externae statuum perfectionis in suis relationibus cum auctoritate ecclesiastica et civili.
A) Quoad auctoritates ecclesiatsicas externas: priori dimidia hora: R. P. S. Goyeneche, C. M. F.
B) Quoad auctoritates internas et externas civiles: altera dimidia hora: R. Fr. I. Maher, F. S. Ch. Hiberniae. Scriptores septem.
Argumentum 2: Apostolatus scientiae statuum perfectionis. Rev.mus D. I. De Luca. Scriptores quatuor.

Sectio III: Statuum perfectionis accommodata renovatio quoad apostolatum ordinarium et extraordinarium.

Die 5 Decembris.

Sessio matutina

Relatio VIII: Apostolatus ordinarius statuum perfectionis. Collaboratio ad ipsum sodalium non sacerdotum. R. P. I. Smith, O. P. Scriptores novem.
Communicatio 1: Accommodata renovatio circa rationem praedicandi missiones ad populum. R. P. Thimoteus a Virgine Perdolente, C. P. Scriptores octo.
Communicatio 2: Actio et functio apostolatus Religionum vitae contemplativae, praesertim in missionibus. Rev.mus Dom A. Fracheboud, *Abbas*, *O. C. S. O.* Scriptores sex.
Communicatio 3: Accommodata renovatio circa rationem tradendi Exercitia spiritualia. R. P. C. D. De Bigu, S. I. Scriptores sex.
Communicatio 4: Coordinatio et unificatio actionis apostolicae utriusque Cleri nec non Associationum ecclesiasticarum. Exc.mus I. Urbani, Arch. Sardianus. Scriptores septem.

Sessio vespertina

Argumentum 1: Actio catholica et status perfectionis R. P. T. Toni, S. I. Scriptores sex.
Argumentum 2: Criteria generalia circa participationem sodalium statuum perfectionis in actione syndicali. Applicationes particulares in aliquibus nationibus. Rev.mus D. P. Pavan. Scriptores sex.

Die 6 Decembris.

Sessio matutina

Relatio IX: Apostolatus extraordinarius statuum perfectionis: ratio, momentum, character, normae. R. P. D'Ouince, S. I. Scriptores octo

Communicatio 1: Apostolatus scholae: momentum, character, normae. R. Fr. Leo Maria, F. S. C. Scriptores quinque.

Communicatio 2: Apostolatus editionum seu preli, cinematographicae et radiophonicae artis: momentum, character, normae. Rev.mus P. I. Alberione, Sup. Gen. S. S.. P. Scriptores decem.

Communicatio 3: Apostolatus caritatis, hospitalitatis, adsistentiae socialis: momentum, character, normae. R. P. F. Molinari, M. S. Scriptores septem.

Communicatio 4: Apostolatus ordinarius et extraordinarius statuum perfectionis in missionibus exteris. R. P. A. Perbal, O. M. I. Scriptores novem.

Sessio vespertina

Argumentum 1: Formae diversae Apostolatus exceptionalis necessitatibus hodiernis et adiunctis respondentes. R. Sac. P. Magni, C.S.P. R. P. V. Rotondi, S. I. Scriptores sex.

Argumentum 2: Prospectus statisticus statuum perfectionis eorumque opera et ministeria. R. P. I. Sirna, O. F. M. Conv. De statistica quoad religiosos alii duo scriptam relationem conficere rogabantur.

Die 7 Decembris.

Hora 9: Recensio ac illustratio conclusionum Congressus. Exc.mus P. Arcadius Larraona, C. M. F. Secretarius S. C. de Religiosis.

III. Judicium de Congressu. Fructus. Vota.

1. Judicium.

18. In primis animadvertere oportet, nostrum Congressum naturam omnino peculiarem induere; neque recte de eo iudicari posse nisi prae oculis habita eius natura, fine et scopo, mediis adhibitis, organizatione, charactere personarum quae ad Congressum tamquam membra invitatae sunt (aliis consulto exclusis), moderatione a S. Sede; insuper, quod in Congressu ex defectu temporis, nulla ratio habita est relationum scripto exhibendarum — quae ultra 400 in programmate signantur —, quarum tamen ratio habebitur in *Actis* Congressus, et tandem quod Congressus apertus manet usque ad Actorum publicationem. Haec si prae oculis habeantur, facile perspicitur quam leviter, ne dicam iniuste et aliquando irreverenter de Congressu aliqui scripserunt.

19. Sunt aliqua quae sub diversis adspectibus vel attento more aliorum Congressuum, quibusdam minus placuerunt; ita ex. gr. aliqui — zelo *forsan* minus prudenti acti — publicas et clamorosas reformationes auspicabantur, vel etiam maiorem auditorum in promovendis discussionibus libertatem desideraverant: eis illa magna sessionum serenitas fastidiosa forsan erat; aliis minus grata erat S. Congregationis immediata moderatio et Superiorum Generalium vel Delegatorum praesentia, eaque coarctare libertatem aiebant; linguae latinae vel aliorum idiomatum non bene cognitorum usus, difficiliorem reddebat et disserentium sermonem et dissertationis intellectum. Haec aliaque aliquo modo vera sunt; at ni fallimur, ea exaggerare non licet quin vel Congressionis scopus ignoretur, vel eius natura, finis et peculiaris character (religiosus, universalis, a S. Sede indictus et moderatus, etc.) omnino praetermittantur. Non omnia quidem perfecta fuerunt, nec singuli oratores apprime spei et desideriis tum Moderatorum tum auditorum, ut videtur, responderunt; sed in genere Congressus retinendus videtur verum Congressum sui generis « exemplar ».

20. Congressus, ut opportune dixit Exc.mus P. Larraona Secretarius S. Congregationis de Religiosis, non habebat auctoritatem vel S. Congregationis vel Capituli Generalis; eius obiectum non erat leges ferre, sed practicam nostris temporibus accommodationem studere (*Hebdomada studii*). Quapropter eius conclusiones, etiamsi ab omnibus communiter probatae, valorem iuridicum nullum possident, sed mere doctrinalem et moraliter directivum tantum.

Omnino ceterum a vero errarunt qui Congressum expectabant tamquam « factiosam subversivam seu demagogicam conventionem », in qua generalis Ordinum et Congregationum vel fusio, vel reformatio, vel quid simile peragi poterat.

21. Sub alio respectu, amplitudo programmatis excessiva quibusdam visa est. Revera, non tantum quaelibet ex tribus sectionibus quibus Congressus constabat (vita et disciplina, institutio, apostolatus) peculiare studium requireret, ut planum est, sed etiam aliqua particularia argumenta abundantem materiam pro speciali Congressu praeberent. Haec, Congressus fautoribus occultari non possunt. At, ni fallimur, ipsi melius, et optimo quidem consilio, duxerunt, in hoc universali Congressu rem undequaque considerare; relicta speciali singulorum argumentorum tractatione pro aliis coadunationibus quae subsequentibus temporibus fieri poterunt. Hoc suadebant, inter alia, rationes etiam practicae: nam, non parvae difficultates ordinis etiam oeconomici, superari debent antequam similis aliqua universalis coadunatio procurari possit. Sacrae Congre-

gationis, ut credimus, mens erat in casu omnia gravia problemata suscitare, totalem et adaequatum, saltem summis lineamentis, problematum prospectum exhibere, graviorum quaestionum formulas quaerere et iuste proponere (impostare esattamente i più gravi problemi), informationes et desiderata Religionum colligere, mentem voluntatemque Religionum ad aptiorem solutionem convertere etc. Iam vero haec in Congressu tantum universali (ex personis et ex materia) obtineri poterant, et de facto abunde obtenta videntur; cuius rei signum est votum omnium plausu acceptum, quo postulabantur frequentes huius generis coadunationum Superiorum Generalium sub ductu et auctoritate S. Congregationis celebrationes.

22. Alii non defuerunt qui primis diebus, dum evolvebantur themata prioris sectionis, minus felicem exitum Congressioni auspicabantur, eo quod argumenta potius theoretica — theologica, ascetica, iuridica — videbantur, modusque ea tractandi fere scholasticus; at in decursu sessionum facile in melius iudicium venerunt. Revera, agentibus de accommodata renovatione status perfectionis evangelicae, oportebat omnino elementa divini iuris in lucem ponere, eaque intangibilia adversus hodierni naturalismi inanem inconstantiam proclamare.

Neque minus urgebat errores aliquos ubique subdole vel etiam palam grassantes publice profligare.

Hanc procedendi rationem plane probavit R. Pontifex in Allocutione diei 8 decembris edicens: « nonnulla doctrinae placita, intra ipsa Ecclesiae saepta conflata et evulgata, eas quoque quaestiones attingentia quae ad moralis perfectionis condicionem et statum pertinent... haec omnia valde suadebant, ut dispositis disceptationibus et studiis vacaretis » [9].

---

[9] « Necessariamente e consapevolmente si è voluto cominciare dall'aspetto teologico e ascetico degli Stati di perfezione, che fu e sarà sempre la loro anima. Come è bella, e come è profonda, e vitale e soda la teologia e la ascetica della vita di piena consacrazione, sviluppatasi dalla radice vivace del S. Evangelo sotto l'influsso perenne di Cristo il divino Modello. I tre gradi e aspetti di ogni vita di perfezione girano attorno ai voti, e fanno diventare: a) *stringente e concreta la consacrazione (religiosa);* b) *completa la purificazione* (aspetto purificante dei voti): come riparazione, come lotta e preservazione, come radicale distruzione sempre più piena e intensa delle tre concupiscenze, come soppressione delle preoccupazioni che sono il terreno e il clima dove esse trovano gli elementi della loro vita; c) *totale la santificazione* della vita: tutte le virtù infatti si riducono praticamente in modo meraviglioso alle virtù relative ai voti, tanto le virtù cardinali come le virtù teologali, e tutte compongono sotto diversi aspetti della virtù della religione: il culto, l'adorazione, sacrificio e olocausto, voto, offerta, ecc., il culto perenne e totale di Dio in spirito e verità; d) *piena la trasformazione* per amore in Cristo, divino Modello totale. Veni, sequere me.

Bene ha scritto Dom Chautard: chi riduce la vita religiosa a un complesso

Prae oculis constanter habita natura Institutionum religiosarum et fine ab eisdem persequendo, themata particularia accommodatam renovationem respicientia, iam secure et practice tractari poterant.

Sed his relictis, omnes norunt non pauca nec levis momenti dicta fuisse de vero et genuino sensu et conceptu in his materiis accommodata renovatione, prout in Actis Congressus videri poterit. Revera, libellus disceptationum hoc praecipue a relatoribus requirebat; nam enuntiatio relationum et argumentorum constanter quaerit de accommodata renovatione.

23. Praecipua cum oratorum tum etiam Moderatorum laus fuit illa assidua et magna adstantium frequentia, qua per novem continuos dies sessionibus ad sex fere horas protractis fidelissime intererant, nullum defatigationis indicium, nulla concursus diminutio, sedula et alacris omnium, hora praefixa, ad aulas conventio: haec omnia palam demonstrant et quaestionum programma magnam expectationem suscitasse, et oratorum selectionem prudentem fuisse, et argumentorum tractationem auditorum spem ut plurimum non delusisse. Non parva omnium aedificatione et communi stimulo videbantur professores Universitatum, Superiores Generales aliique gravibus occupationibus sui muneris detenti et quominus ad primas horas adsisterent impediti, ad mediam sessionem in aulas sollicite et alacris quidem animi, sed etiam fatigati, ex itinere, corporis, signis pervenire.

24. Ab omnibus notata filialis illa et sincera erga S. Sedem devotio, maxime erga personam R. Pontificis. Quasi quodam ducti instinctu, omnes criteria accommodatae renovationis, ubi aderant, ex documentis pontificiis repetere satagebant; ubi deerant, haec criteria fervide invocabantur et pro futuro auspicabantur. Non in vanum religiosi omnes tamquam Supremo Superiori religioso interno subduntur Romano Pontifici, *cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae* (c. 499, § 1) [10].

---

di norme severe, a una vita dura di rinuncia, non ha capito la vita religiosa; in essa Cristo è tutto, il resto è premessa e condizione; ' nisi granum frumenti... ,; prender la croce, ma la croce col Crocifisso, la croce per seguirlo, con Lui e in Lui mistero di vita, senza di Lui mistero di morte senza speranza » (Ex oratione finali Exc.mi P. Larraona).

[10] « Unione di *pensieri,* d'*affetti,* di *opere,* coi sensi più vivi d'ubbidienza, fedeltà, dedizione al Sommo Pontefice, Vicario di Cristo e nostro supremo Superiore.

a) Ricordiamo sempre che è Lui che *erige* (ministero), che *approva* (magistero), che ha diritto di guidarci con la sua suprema parola, non soltanto come

Opportune hic etiam memorabimus magnam reverentiam et obedientiam Sacrae Congregationi exhibitam dum Congressus praeparabatur. Omnes obsequenter paruerunt et magni honoris habuerunt cum S. Congregatione cooperari ad bonum exitum Congressus [11].

25. Liceat quae R. P. Escudero scribit in *Commentarium pro Religiosis* exscribere: « Valde notanda est illa fraterna unio atque mira animorum concordia, quae semper sessionibus praeerat domina. Unde nequaquam qui quotidie canebatur himnus: ' Ubi caritas et amor Deus ibi est. Congregavit nos in unum Christi amor... ' a concentu disonabat cordium. Haec sane caritas nec diversis illorum magni nominis doctorum opinationibus turbata fuit; nam illis minimis et accidentalibus praetermissis, ad principaliora omnes concordi animo gradiebantur; nec singularum familiarum peculiaritatibus seu vitioso spiritu corporis, qui dicitur, confracta, quinimo omnes unicam magnam religiosam familiam constituere viderentur, quin color vel forma habitus officeret. Omnes unus idemque spiritus agebat, ut gloriam Dei animarumque bonum, ce-

---

cristiani e sacerdoti, ma specialmente come religiosi. Lui è il vero nostro *Fondatore* e il *primo Superiore*. Che sia non soltanto un criterio, ma una vita.

b) Ricordiamo con gioia sicura e serena, che secondo le chiare e pacifiche norme canoniche, le Religioni legittimamente erette sono Società di carattere pubblico, personale e universale, che ricevono dal Papa la loro potestà e in *Esso* sono inserite nella *Gerarchia di giurisdizione*, essendo i nostri Superiori *maggiori* e *supremi* veri *Ordinari* e Prelati per quanto non territoriali, o *Superiori ecclesiastici* equiparati ad essi in quel che tocca il regime della propria Religione e Provincia.

c) Per questa equiparazione non siamo *in quanto chierici, vaghi,* se anche non incardinati ad una Diocesi, e in quanto religiosi non siamo separati dalla potestà suprema, ma ad essa direttamente uniti con vincoli specifici che investono tutta la nostra vita.

d) Siamo corpi interamente agli ordini diretti del Papa che ci comanda per mezzo dei nostri Superiori. Continuando la nostra tradizione ed essendo fedeli alla nosta missione, dobbiamo avere il senso profondo della Chiesa, della sua *unità*, della sua *cattolicità* della sua *apostolicità* fusa con quella della sua *santità*. Agli ordini del Papa sempre e in tutto » (Ex oratione finali Exc.mi P. Larraona). - Et iterum:

« Chè bella la trovata della S. Chiesa di organizzare in Società da essa *erette* (ministero), da essa *approvate* (magistero) lo Stato di perfezione. Nelle sue mani lo Stato di perfezione è passato senza interruzione da fenomeno individuale a collettivo, a stato sociale, riconosciuto, giuridico, pubblico, cardinale base della seconda categoria delle persone canoniche. *Il fondatore canonicamente e teoliogicamente è il Papa* ».

[11] « Noi abbiamo trovata una comprensione e una collaborazione *commoventi*. Esse da una parte onorano Ordini, Congregazioni, Società, Istituti; e dall'altra ci confermano che era l'ora di Dio, e che il Signore nella sua ineffabile bontà, per mezzo del suo Vicario, hà guidato i nostri passi. Sarà ben giusto, doveroso e salutare, e dovrà essere ben sincero il nostro vivo ringraziamento al Signore, e in Esso a Voi tutti. Non facciamo nomi nè elenchi per timore di omissioni, e perchè siamo ben certi che nè occorrono nè dubitate della nostra sincera gratitudine ». (Ex Oratione finali Exc.mi Secretarii).

teris depositis, quaererent ' solliciti servare unitatem in vinculo pacis '. Nec hoc negativum tantum, sed actuosa caritate acti, magna cum simplicitate unusquisque exhibebat experientias prosperi vel adversi eventus, ut omnibus possent proficere. Nec tantum iterum, sed sincera desideria maioris collaborationis in ministerio apostolico ordinario vel extraordinario, immo vel in ipsa alumnorum institutione prodibant [12]; unde perplura vota hac de re, sive modo generali sive pro definitis negotiis proposita fuerunt. Hoc maioris unionis et collaborationis desiderium posset, credimus, ut una ex praecipuis Congressus notis considerari, et unus etiam ex maturioribus ipsius fructibus ».

26. Et infra prosequitur: « Nec minus laude digna sunt oratorum scientia, sapientia atque aequilibrium in propriis elucubrationibus exarandis, difficultatibus proponendis et enodandis. Nihil plane mirum, nam agebatur generatim de viris magni nominis, aliquando summi etiam nominis, sive in diversis theologicis, iuridicis et scientificis disciplinis pervestigandis et exponendis, sive in ministeriis omnigenis obeundis. Unde facile venit ut dissertationes saepe nobis offerrent vera sapientia plenas, illa vera sapientia, quae vanam scientiae et culturae speciem non affectat. Ex quo forsan aliquibus, qui rerum tantum aciem considerant, nec profundius calere sunt capaces, potuerunt huiusmodi dissertationes scientia destitutae videri.

Haec vera scientia, quam diximus, etiam in hoc eluxit, nempe in perfecto aequilibrio in pertractandis quaestionibus ad viam mediam cum inter theoriam et practicam tum inter traditiones et novitates tenendam. Nam revera, haec fuit, ni fallimur, peculiaris et optima fere omnium elucubrationum nota ut quin inutilibus disquisitionibus historicis vel quaestionibus theoreticis indulgerent, illas notitias historicas necessarias illaque solida doctrinae principia proponerent, quibus conclusiones practicae quae praecipuae erant, sufficienter fundatae apparerent. Aequilibritas etiam in deviandis exaggerationibus sive per excessum sive per defectum, medium inter opposita, seu culmen in caritate amplectendo. Nec excessiva v. gr. valorum specificorum seu peculiarium, aestimatio ita ut legitimo spiritui corporativo subrogetur spiritus sic dictus spiritus corporis vitio egoismi infecto, nec ex alia parte defectuosa elementorum peculiarium valorizatio, quo Religiones spiritu et fine a Conditoribus divino instinctu traditis privantur. Nec nimia litterae, etsi inadaequatae, aestimatio, quo spiritus suffocatur, nec litterae cuiuslibet contemptus, quo spiritus evanescit. Nec nimium novitatum desiderium in exercitio

---

[12] « Non in vano abbiamo cantato insieme: ' Ubi caritas et amor, Deus ibi est. Congregavit nos in unum Christi amor '. Quante cose ci portava il bel canto ' in memoriam cordis ,! Le nostre vocazioni, il poema delle nostre vocazioni; ma insieme la nostra *comune vocazione*. Non in vano ci chiamiamo *fratelli nella vita di perfezione*. Quanto può sperare la Chiesa di Dio da questo rinnovato sentimento di fraternità e di collaborazione, sentita come non credo mai nella Chiesa di Dio, di tutti all'Opera e alle Opere comuni. Ci sforzeremo di tradurre in fatti alcuni desiderata che rispondono a questi fraterni sentimenti ». (Ex eadem oratione).

apostolatus, nec praeiudicium usui subsidiorum hodiernorum; et sic de ceteris. Et haec, ni fallimur, est summa sapientia ».

27. Sunt aliqua in huius Congressus ordinatione quae nova non immerito dici possunt seu saltem peculiaria, sapienter quidem disposita ut experientia comprobavit. De ipsis antea egimus; sufficiat ea nunc tantum enuntiare; coordinatio actum religionis et pietatis cum sessionibus studii; thematum ordinatio et dispositio in tres sectiones: 1) quoad vitam religiosam et disciplinam; 2) quoad institutionem et formationem; 3) quoad apostolatum; dissertationum duplex forma: oralis (relatio, communicatio, argumentum) et scripta; praecipuorum oratorum et scriptorum designatio quasi ex officio; triplex adstantium categoria, exclusis « Auditoribus » a discussionibus promovendis; propositio difficultatum, votorum, etc. in scriptis ab omnibus adstantibus et responsio per aliquem Doctorem a Congressus Moderatoribus designatum; moderatio discussionum, non ab ipsis oratoribus sed a Praesidentibus Congressus; gratuita in initio distributio sessionum folii restrictum dissertationum continentis; Congressus apertus remanet usque ad Actorum publicationem.

2. Fructus.

28. Nunc autem si ad fructus Congressus deveniamus, censemus S. Congregationem finem in eo celebrando sibi propositum ultra omnem spem assecutam esse. Sane.

Sacra Congregatio de Religiosis plura quae inculcanda habebat religiosis familiis, hac methodo nostris temporibus valde accommodata, persuasionis nempe et quamdam democraticam rationem prae se ferente, efficaciter assecuta est [13]; illa thematum abundantia et varietate, illa quaestionum accurata dispositione et formulatione, illa brevi explanatione in prima programmatis editione oratoribus et scriptoribus transmissa, illa sagaci et prudenti, prout datum est, ex omnibus nationibus et Religionibus oratorum illustrium, securitate doctrinae apprime agnitorum, selectione, auspicatissimum exitum ultra modum adepta est; quin ceterum libertas dicendi et propriam opinionem exprimendi coarctaretur [14].

---

[13] « In buona parte il frutto del Congresso è stato conseguito. ' Dimidium facti est cepisse. Deficit aliud dimidium. Iterum incipe et habebis ,.

Informazioni, orientamenti, documentazioni, clima rinnovato, unione fraterna tra di noi e con tutti. Ecco alcuni dei frutti già raccolti ! » (Ex oratione finali Exc.mi Secret.).

[14] « Avete visto tutti che si è lasciata una grande libertà di apprezzamenti e di parola ai Relatori, Comunicanti, Membri del Congresso; e avete visto ancora che non si è fatto, come si temeva, nessun processo a nessuno; che ci è stata una

At simul plura, eadem observata methodo, S. Congregatio didicit, plura Superiorum religiosorum desiderata agnovit, pluresque informationes recepit, quibus indiget ut problemata quae sub studio habere videtur, secure resolvere queat.

Haec praesertim valere dicenda sunt de argumento secundae sectionis (institutio et formatio) ex quo S. Congregatio plura hausisse videtur pro anuntiata Instructione de alumnis plene probandis solideque instituendis.

29. *Necessitas accommodatae renovationis* (in ordine legislationis, ascetico, practico, formationis, apostolatus, etc.) ab omnibus confuso quodam modo percepta, clare ob omnium oculos posita est, et S. Sedis auctoritate quasi sancita et confirmata. Hinc, in omnium animis ardens desiderium excitatum est cognoscendi mentem S. Sedis circa aequam renovationem in praxim deducendam, et recipiendi non solum criteria generalia sed practicas et iuridicas normas renovationis. Congressus igitur promptam animorum dispositionem suscitavit et quasi quamdam « spiritualem atmospheram » accommodatae renovationis apud religiosas familias creavit. Quod quidem non parum est; nam sensus responsabilitatis, reverentia et fidelitas erga traditiones a maioribus receptas, difficultas ipsa substantiale ab accidentali discernendi in fine, mediis et traditionibus, haec aliaque Superiores religiosos saepe ab accommodatis renovationibus introducendis detinent.

30. *Criteria renovationis.* Quibus addendum est, omnes ab hoc Congressu didicisse adaequatam ideam atque imaginem auspicatae renovationis; omnes sc. didicerunt elementa essentialia ab accidentalibus, immutabilia ab iis quae mutationibus subiacere debent, *traditionem* a *traditionibus* nullo negotio discernere. Immo et quaenam in concreto sint substantialia quaenam accidentalia in diversis sectionibus profuse et accurate declarata sunt.

a') Elementa *substantialia*, sive generica omnium religionum sive specifica et singulis peculiaria, tenaciter retinenda sunt; in eis renovatio in sensu *immutationis* dari nequit; magis ad mentem Congressus renovabitur qui intimius ea vivat; immo et vera in aliis renovatio concipi nequit, nisi quatenus hoc spiritu ducatur.

Duo criteria, quoad substantialia, diversis formis repetita sunt:

1) in his (substantialibus) necesse est ad *origines* regredi, ab

---

consolante unità di sentimenti e di criteri in tutto quello che toccano i *cardini* della vita, della disciplina, della formazione e dell' apostolato; avete sentito che vibra nei cuori il sentimento della vocazione, che non è spento l' ideale, che basta togliere un tantino le ceneri, se ce ne sono, perchè bruci il fuoco e sorga la fiamma viva e pura » (Ex eadem orat.).

eisque spiritum, vim et modum renovationem faciendi repetere; ad pristinam instituti dignitatem sanctitatemque redire omnibus viribus satagant qui eam amiserint vel quomodocumque in eis debilitati fuerint;

2) respiciant singuli proprios *Fundatores* eosque imitari conentur in perfectione prosequenda, in salute proximorum procuranda, in mediis opportunioribus adhibendis. Faciant ut facerent nunc proprii Fundatores, qui fere omnes, eodem evangelico spiritu acti, temporibus praecurrerunt innovatoresque optimo sensu saepe extiterunt. « Praestantissimos enim eiusmodi viros, cum sua excitarunt Instituta, quid aliud fecisse constat, nisi divino afflatui paruisse? Quam igitur ii notam in sua cuiusque Sodalitate impressam voluerunt, eam quicumque ex suis in se exhibent, ab incepto sane non aberrant. Quare eo sodales, potimorum instar filiorum, curas cogitationesque convertant, ut Patris legiferi honorem tueantur, eius cum et praescriptis et monitis obsequendo, tum imbibendo spiritum; neque enim e statu suo decident usque dum Conditoris sui vestigiis insterint: ' Filii eorum propter illos usque in aeternum manent ' » (*Eccli.*, XLIV, 13) (*Pius XI*, Epistola Apostolica *Unigenitus Dei Filius; AAS.*, 1924, p. 135) [15].

b') Accommodatio nostris temporibus in *accidentalibus* ad modum « organismi viventis » perficienda est; per modum nempe potius assimilationis et absortionis, quam accommodationis seu iuxta positionis [16].

Mirifice haec principia cum normis a R. Pontifice in Allocutione diei 8 dic. datis congruunt. Liceat aliqua Eius verba transcri-

---

[15] « Il Congresso ha ritrovato con un intuito e con una fedeltà illuminata veramente felice e consolante il criterio sicuro del rinnovamento *vitale ed attuale* nei SANTI FONDATORI. Non in vano li abbiamo tutti i giorni invocati. *Fare quel che essi hanno fatto. Fare come essi, veri precursori, avrebbero certamente fatto nei nostri tempi.*

Quante nebbie si dissipano, quanti pretesti cadono, quanto coraggio maschio e generoso si accende, al contatto di mente, di cuore, di vita col nostro Fondatore. Uno dopo l'altro arrivano essi agli altari. Là vediamo canonizzate le nostre vocazioni, canonizzato il nostro stato. *Fare come essi e con essi. Essi faranno con noi e per noi,* e si rinnoverà la faccia della terra.

Alcuni hanno proposto una *preghiera liturgica,* forse *una festa,* a ricordo e incitamento salutare di questo rinnovamento verace ed illuminato. » (ib.)

[16] « . . . dopo le luminose spiegazioni di tutti quelli che hanno insistito sul senso vero e pratico della *rinnovazione* che deve essere *vitale* e *totale,* profonda, della vita, della formazione e dell'apostolato religiosi; rinnovazione che non è sempre necessariamente *riforma,* ma è sempre un ravvivarsi la gioventù, che deve essere perenne, come quella dell'aquila, e che porta sempre necessariamente, gioiosamente come ogni vita rinnovata la facoltà, l'istinto, il bisogno della assimilazione vitale e quotidiana, degli elementi e degli alimenti che nutriscono ogni vita » (Ib.).

bere: « Plerumque enim contigit ut legiferi Patres religiosorum Institutorum novum suum excogitarent opus, quo emergentibus neque moram patientibus Ecclesiae necessitatibus vel muneribus occurrerent; itaque cum suo tempore sua exaequabant incepta. Quodsi vultis patriis insistere exemplis, eo modo quo ipsi se gesserunt, ita et vos agite. Aequalium vestrorum inter quos vivitis, scrutamini opiniones, iudicia mores et, si ibi particulae boni et iusti inveniantur, pretiosis hisce elementis potimini; aliter eos collustrare, iuvare, sublevare, ducere non valetis. At est Ecclesiae patrimonium, quod iam ab eius primordiis indemne est, quod labentibus aevis non variatur, humani generis necessitatibus et votis congruentissimum... Attamen sunt, et multa quidem rerum adiuncta, ubi potestis et debetis hominum et temporum ingenio et necessitatibus obsecundare... Hisce a vobis obsequendum est motibus, hisce occurrendum est votis, cauta autem habita ratione, ut non accipiatis a saeculo quod triste et iniquum id tenet, sed ei vestrum inseratis quod probum et sanctum sit et salubribus illius impulsionibus consonum » (*AAS.*, 1951, p. 33-34).

31. Alia criteria enuntiavit Exc.mus S. Congregationis Secretarius; quorum aliqua breviter tantum tangimus:

1) « Primato della parte spirituale, *dei valori ascetici e teologici*, *del senso della piena consacrazione*, *della vita come culto totale di Dio*, *della vita come totale purificazione*, *santificazione*, *trasformazione in Cristo. Eleviamo*, *non svuotiamo nè tolleriamo che si svuoti l'ideale; perderemmo la nostra ragione di essere* ».

2) Amare i voti e la disciplina! « *Non separiamo l'aspetto teologico e ascetico dalla disciplina*, *come nè questa da esso. Nè perfezione senza osservanza*, *nè osservanza senza perfezione. La perfezione senza osservanza è fantastica e presuntuosa; l'osservanza senza perfezione porta fatalmente alla lettera che uccide*, *alle tradizioni che negano la tradizione*, *al formalismo*, *al fariseismo.*

Se prendiamo la vita religiosa nel suo insieme e la compariamo all'uomo vivo, *possiamo dire che la disciplina e il diritto sono come il suo sistema osseo*, *e se vogliamo anche il muscolare. Senza ossa non si cammina*, *si striscia*, *anche se si credeva di poter volare; colle ossa rotte o i muscoli rilassati si cammina male. Non restar nelle ossa*, *cioè nel diritto e nella disciplina*, *ma far sì che per agire con agilità*, *rapidità*, *energia*, *sicurezza l'anima*, *la volontà*, *la sensibilità*, *trovino nella disciplina*, *nel diritto l'istrumento individualmente e socialmente adeguato* ».

3) « Primato del foro interno sul foro esterno, *fusione armoniosa senza confusione di essi; non favorire nè la gelosia del foro interno che sottrae le anime alla direzione dei Superiori*, *nè la indelicata prepoten-*

za ed arbitrarietà del foro esterno. La fiducia non s'impone, s'ispira. Trattare le anime come le tratta il Signore.

Applicazioni alla natura della potestà del Superiore, del Maestro, del Prefetto; alle interpretazioni dei canoni sulle confessioni, il resoconto di coscienza. Veranno precisate ».

4) « Primato del fine specifico, *coscienza di esso, sua elaborazione, sua continuazione. - Rappresenta la continuazione del Fondatore, la ragione di essere nella Chiesa per lo spirito e per l'apostolato* ».

32. Alius valde aestimabilis fructus fuit *renovatio sensus et conscientiae proprii status et propriae in Ecclesia missionis Institutorum religiosorum*. Iam ab exordiis Congressus E.mus Card. Piazza in sua Prolusione hanc perennem missionem status perfectionis (*attualità*) illustravit ex capite divinae institutionis, ex insertione in Corpore Christi mystico, etc. Liceat nobis hos tantum textus exscribere, quos E.mus Pater opportune adduxit: « Status religiosus secundum se et quoad substantiam suam ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus fuit, atque ita dici potest esse de iure divino, non praecipiente, sed consulente. Haec est sententia omnium catholicorum recte sentientium » (*Suárez*, De relig., tract. VII, 1, 3, c. 2). — « Consilia Christi non potuerunt manere irrita; unde operante divina gratia omnibus Ecclesiae aetatibus plurimi utriusque sexus doctrinam divini Magistri de consiliis evangelicis secuti sunt. Quare status religiosus, quatenus est publica consiliorum professio, qua Ecclesia ob sanctitatis praerogativam iugiter fulgere debet, aliquo modo indefectibilis in Ecclesia dici potest » (*Wernz-Vidal*, De relig., n. 30). — « Status religiosus... ab omnibus in honore habendus est » (c. 487).

Haec proprii status existimatio, quae hodie apud aliquos obscurabatur vel aliquantulum remittebatur, in decursu sessionum crescebat, dum vel status sub omnibus eius adspectibus illustrabatur et melius cognoscebatur, vel hodierni errores circa perfectionem christianam et media ad eam assequendam, doctissime et efficaciter profligabantur.

Ex capite etiam completae deditionis ad opera perfectionis et perfectae renuntiationis tribus concupiscentiis demonstrata est necessitas status perfectionis et missio religiosorum in praesenti societate.

Sed ex alia etiam peculiari ratione necessitas status perfectionis prout eum Ecclesia ordinavit, eiusque maxima nostris temporibus « actualitas » (sit venia verbo) in decursu sessionum demonstrata fuit. Sane, ut ex historia constat, Ecclesia perpetuo Religiones adhibuit ad opera *characteris universalis* promovenda: opera missionalia, universitates, etc., sunt etenim Institutiones huiusmodi non

ad aliquem locum vel tempus circumscriptae, sed universales: universales tum ratione spatii et temporis, tum ratione traditionis personae ad opera perfectionis et apostolatus et traditionis Religionis in manibus R. Pontificis tanquam « earum Superioris immediati » (c. 499, § 1). Porro nostra hac tempestate, quantum huius generis Societates in Ecclesia desiderentur, nemo est qui ignoret. Hodie enim continuo multiplicantur institutiones quae limites civitatis, immo vel ipsius provinciae et nationis excedunt; quasque proinde nemo, auctoritate tantum locali, convenienter regere et prout oportet spiritualiter fovere potest. Praeterea, inter necessitates Ecclesiae praecipuas, eminent illae quae quemdam characterem seu notam universalitatis praeseferunt, veluti propagatio fidei, universitatum et collegiorum omne genus creatio et directio, opera adsistentiae socialis quae dicuntur, apostolatus editionum et preli, radiodiffusionis et televisionis, etc. etc. Iam vero, experientia teste, ad haec opera sustinenda et promovenda, aptissimae sunt societates nulli territorio ligatae, vel operi locali addictae, quarum praeterea membra *integram* et *absolutam* sui traditionem societati profitentur, directe et immediate Supremae Auctoritati subduntur et peculiari obedientiae vinculo erga R. Pontificem, qui peculiari modo necessitatibus Ecclesiae *communibus* provehere debet, adstringuntur. Revera, ut de Religionibus tantum mulierum loquamur: « L'apostolato della Chiesa oggi non è quasi più concepibile senza la cooperazione delle religiose nelle opere di carità, nella scuola, nell'aiuto al ministero sacerdotale, nelle missioni » (*Pio XII* in Allocutione habita ad Unionem mulierum Actionis Catholicae die 24 iulii 1949; *Osservatore Romano*, 25-26 luglio 1949).

33. *Amplior cooperatio utriusque cleri.*

Haec propria status religiosi universim considerati in Ecclesia missionis conscientia, magnum in omnibus, praesertim Superioribus, excitavit sensum responsabilitatis, magnum etiam generavit sensum solidarietatis, vincula mutae caritatis strinxit. Studium elementorum omnibus communium, consideratio finis communis (perfectio et apostolatus, servitium Ecclesiae) communium periculorum conscientia, experientia infirmitatum et dolorum mystici Corporis Christi, necessitas coordinationis virium unanimiter persentita, haec omnia mirabiliter dilatarunt spatia caritatis; et non tantum optimum attulerunt remedium contra sic dictum spiritum corporis egoisticum, sed et desiderium amplioris et generosioris mutuae cooperationis inter clerum religiosum et saecularem foverunt. Huius mutuae cooperationis formulam tradidit Exc.mus P. Secretarius S. Congregationis in ultima sessione:

1. « a) *Unione di pensieri, di affetti, di opere a norma delle sapienti norme giuridiche colla* Gerarchia territoriale *nei diversi suoi gradi. E ciò senza lesinamenti, nè sottintesi, nè riserve*, in tutto quello che nella nostra vita e nel nostro apostolato ha carattere locale.

b) *Tutti gli egoismi sono* brutti, chiusi, e gretti, *come idee, come sentimenti e come opere. C'è senza dubbio l'egoismo a carattere locale, ma c'è e non meno nocivo l'egosimo corporativo. Vigiliamo.*

c) *Ricordiamo che l'esenzione, meglio diciamo* l'autonomia interna, *è necessaria all'unità delle Religioni a ai loro apostolati a carattere non locale, e il diritto la favorisce e ragionevolmente la estende alle nuove forme di religiosi, e sempre meglio la precisa e definisce. L'esenzione in vece in tutto quello che è territoriale o nell'apostolato o nelle ripercussioni o proiezioni della vita religiosa al di fuori*, ben a ragione soffre una restrizione e involuzione. *Involuzione* provvida *che ci stringe nella lotta agli Ordinari e ci fa formare un blocco compatto col clero. Amiamo i Vescovi e uniamoci sempre più fortamente ad Essi* [17].

2. Unione fraterna col clero diocesano.

a) *Nella pratica della perfezione che assicura il nostro comune sacerdozio. Siamo sacerdoti con essi e come essi.*

b) *Favoriamo ogni forma di vita di perfezione che tende a fondarci nella santità: Società di vita comune sacerdotale diocesana, Istituti diocesani di Chierici, Incorporazione di Sacerdoti in queste Società e Istituti.*

c) *Nell'apostolato: collaborando, aiutando, servendo i nostri fratelli.*

---

[17] « Quante volte quando si parla di *gerarchismo, di esenzione* si dimentica ad un tempo la storia dello svolgersi del Primato del S. Pontefice e della Chiesa, ma anche il diritto canonico elementare, chiaro e inequivocabile. La Gerarchia di giurisdizione che fa capo al R: Pontefice, per diritto divino ha due gradi (non tre), per diritto ecclesiastico ha diversi altri gradi tra il Pontefice e i Vescovi (Patriarchi, Primati, Arcivescovi), e altri gradi episcopali (equiparati al Vescovo) o infra episcopali (Abbati, Prelati nullius, ecc.). Ma con questo non è detta tutta la verità della dottrina canonica. Si distingue la gerarchia a carattere territoriale e a carattere personale. La gerarchia a carattere *territoriale* può essere suprema o da essa partecipata, universale e particolare (Tit. VII, lib. II); ma può essere anche personale (generale, per es. S. C. dei Religiosi), o *particolare:* piena, di vera giurisdizione, o meno piena. Così gli Stati di perfezione con potestà di giurisdizione interna sono corpi equiparati alle diocesi, retti da *Ordinari* (c. 198, § 2) (Superiore supremo, Superiore maggiore), e fanno capo al Papa da cui deriva la loro potestà. Per riguardo alla potestà di carattere territoriale, questa potestà si chiama esente specialmente in tutto quello che toccando l'aspetto territoriale non è sottomesso alla potestà di ordine territoriale che regge il territorio. Questo aspetto è odioso e soffre ben a ragione una involuzione. Sarebbe da raccomandare ai religiosi il senso della collaborazione, del localismo sano, della vittoria sull'egoismo di corpo, che desse loro e ai Vescovi il sentimento che mentre lottano e lavorano nelle diocesi, per tutto quello che è locale, devono sapersi fusi, non confusi, col clero diocesano. » (Ex oratione finali Exc. P. Larraona).

d) *E' questo uno dei fini del nostro Congresso che deve avere degli sviluppi ampi in estensione e intensità.*

3. Per riguardo alla Azione Cattolica.

1° a) Sentiamo, amiamo, facciamo *col Papa. Siano nostri, ben nostri i suoi* sentimenti, affetti, opere. *Siano legge della mente, del cuore, delle opere i documenti, e gli atti tutti della S. Sede al riguardo.*

b) *Così benediciamo il Signore per questa meravigliosa opera dei nostri tempi:* opera di santificazione e di apostolato.

c) *Così collaboriamo senza riserve, salva la nostra disciplina, con tutte le branche della Azione Cattolica.*

La critica può essere anche una collaborazione, purchè sia fraterna *e si faccia* a tempo e modo.

Ricordiamo che gli assenti non hanno mai ragione, e potrebbe sembrare che hanno minore affetto appunto perchè assenti.

2° Facciamo la nostra Azione Cattolica *secondo le norme della S. Sede, ispirando alle nostre Associazioni, colla santità e l'apostolato, il senso fraterno della collaborazione colla Azione Cattolica generale.*

3° *Coordiniamo le Azioni Cattoliche accettando di cuore le proposte intelligenti e generose di S. E. Mons. Urbani, cooperando coi nostri sommessi suggerimenti pratici alla loro perfezione e alla loro attuazione. Ricordiamo sempre che siamo religiosi e così che dobbiamo sempre amare, servire, darci a Dio e per Dio.* Servi dei servi di Dio come il nostro Superiore ».

34. Fructus etiam Congressus erunt « *Acta Congressus* », quorum publicatio paratur. In his Actis locum habebunt, ni fallimur, omnes relationes, communicationes et argumenta quae in Congressu publice lecta sunt, pluresque ex communicationibus scriptis. Parantur praeterea aliae scriptae dissertationes circa aliqua argumenta quae in Congressu vel etiam postea magni momenti reputata sunt. De futuris Actis, haec breviter habuit Exc.mus P. Secretarius:

« *Tutto questo sarà intensificato ed esteso negli Atti del Congresso, sui quali qualche parola*: 1) *Va da sè che non possiamo nè privarci nè privare i posteri dei tesori del Congresso.*

2) *Una apposita commissione designata cogli stessi criteri di generosa comprensione sotto la guida autorevole della S. C. curerà con sollecitudine l'edizione.*

3) *Nel miglior modo possibile si approfitterà delle discussioni e delle proposte avute nel Congresso.*

4) *Se avete suggerimenti da darci ne saremo assai grati e ne faremo certamente tesoro.*

5) *Salvo meliori iudicio, mi pare che va da sè che i lavori dei singoli rimangono loro prorprietà e che possono pubblicarli liberamente, come lavori* privati *ben inteso, senza che possa invocarsi l'autorità del Congresso prima.*

6) *Sembrerebbe che dovrà essere possibile intendersi cogli editori per avere degli* estratti (*separata*) *dei singoli scritti* ».

35. Praecipui autem fructus Congressus, non percepti sed pendentes adhuc sunt; iique maturabunt in futura legislatione. Haud semel id significavit Exc.mus P. Larraona, veluti ubi dixit:

L'applicazione poi, in disposizioni concrete, legislative e direttive a tutti o a ciascun Ordine, Congregazione, Società, Istituto, *noi l'affidiamo fiduciosi ai nostri Superiori. Tutto fa sperare che essa sarà pronta, pratica, efficace e magnanima. Non temiamo. Amiamo e affidiamoci.* Scio cui credidi ».

36. Sed omnium primus et praetiosissimus fructus fuit *Allocutio* R. Pontificis, ingenti religiosorum turmae in Aula Benedictionum et contiguis congregatae die 8 decembris, qua claudere Congressum dignatus est. Non dubitamus asserere hanc Orationem inter insignia monumenta S. Sedis circa Statum perfectionis in Ecclesia adnumerandam esse, ipsamque absque dubio Annalibus historiae ecclesiastici supremi magisterii et regiminis inserendam esse. In ea errores hodierni circa perfectionem christianam et circa statum perfectionis Apostolica Auctoritate damnantur, sensus Sedis Apostolicae circa statum religiosum, cum ecclesiastica saeculorum traditione congruentes, declarantur, positio status perfectionis in hierarchica Ecclesiae ordinatione describitur et definitur, criteria accommodatae renovationis traduntur. Pius XII meritissimus de statu perfectionis in Ecclesiae habendus est; non solum, aliis minoribuus documentis praetermissis, ex Apostolicis Constitutionibus *Provida Mater* circa Instituta saecularia et *Sponsa Christi* de sacro Monialium instituto promovendo, sed etiam ex hoc Congressu, Eius paternis auspiciis et benedictione celebratum et insigni diei 8 decembris monumento coronatum.

3. Vota Congressus.

37. Quae scripsimus, sive nostram sententiam aperiendo circa Congressum in genere sive de fructibus aut perceptis aut qui ab eo expectantur, confirmationem accipiunt in votis Congressus, a Rev.mo P. Agathangelo, Secretario Generali, in ultima sessione lectis. Aliqua summatim enuntiamus: periodicae Superiorum Generalium collationes sub ductu S. Congregationis, creatio scholae iuris religiosi comparati, creatio scholae practicae apud S. Congregationem ad instar Cursum specialium S.R.R. et S. C. Concilii, creatio scholae spiritualitatis pro animorum directoribus rite instituendis, creatio

coetus investigatorum scientificorum ex diversis Religionibus desumptorum in servitium Ecclesiae et scientiarum sacrarum, constitutio commissionis permanentis ad apostolatum extraordinarium (praedicationis, scholae, preli, cinematographicae et radiophonicae artis, televisionis, etc.) promovendum et dirigendum, institutio festi liturgici omnium Beatorum et Sanctorum Fundatorum, in quo omnes qui in Ecclesia Statum perfectionis amplectuntur votum obedientiae R. Pontifici renovent, constitutio scholae pro magistris humanarum litterarum superiorum instituendis, prompta publicatio Instructionis S. Congregationis de Religiosis circa studia et formationem alumnorum Statuum perfectionis, solemne documentum pontificium ad Status perfectionis directum in quo errores condemnentur et securae normae accommodatae renovationis tradantur.

Ut stilus Congressus dignoscatur et modus quo vota proponebantur, duo tantum exempla liceat adducere.

« Ex iis quae in Congressu habita et discussa sunt, in comperto apparet: 1. nonnullos vulgari errores sive exaggerationes, tum circa Status perfectionis naturam tum circa eius apostolatum; 2. accommodatam Statuum perfectionis renovationem, non tantum necessariam, verum ipsam non sine periculo aut magna difficultate in praxim deduci posse absque authentica supremi Magisterii directione; 3. mentem R. Pontificis nonnisi ex documentis pro particularibus aut pro Clero in genere (Exhortatio « Menti nostrae ») datis, desumi posse. — Votum. — Si Congressui placuerit, humiliter a R. Pontifice postulari poterit solemne documentum quo: 1) errores declarentur et condemnentur; 2) defectus corrigantur; 3) normae securae tradantur pro accommodata renovatione perficienda ».

« Ad fructus huius Congressus efficacius obtinendos et caritatis vincula inter omnes qui Statum perfectionis profitentur magis stringenda, proponitur: — 1) Ut Superiorum Generalium collationes sub ductu S. C. de Religiosis periodice celebrentur; 2) ut festum liturgicum omnium Sanctorum Fundatorum a S. Sede impetretur, ab omnibus religiosis Familiis celebrandum ».

Anastasius Gutiérrez, C. M. F.

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

AN « AUDITIO PARTIS » DE QUA IN CANONE 1709 § 3 ET ART. 66 INSTRUCTIONIS S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM « PROVIDA MATER » INTELLIGENDA SIT DE IUDICIALI EXCUSSIONE.

Libellus a quodam actore oblatus, quo matrimonium nullitatis accusabatur, reiectus fuit a Tribunali ecclesiastico, admissus tamen post recursum rite interpositum, a Tribunali appellationis.

Quaestio tunc exorta est: tenetne decretum tribunalis superioris, quod adeo expeditissime rem definivit ut partem minime iudicialiter audiret?

Seponimus quaestionem de opportunitate — vix aliquando neganda — interrogandi actorem recurrentem; et unam aggredimur quaestionem utrum haec excussio iudicialis adeo necessaria sit, ut ea omissa, in vim can. 1709 § 3 C. I. C. et art. 66 *Instr. S. Congr. Sacramentorum*, decretum Tribunalis appellationis sit nullum.

Nostra humili sententia verba: « *auditis parte et vinculi defensore* » citatae Instructionis, nequeunt intelligi de iudiciali examine.

Re quidem vera:

A) desumpta cum sint ex can. 1709 § 3, qui in ipso articulo Instructionis refertur, non latius patent quam canon ipse: seu eadem acceptione sumenda sunt quam obtinent in Codice. Age vero, in Codicis libro IV verbum *audire* non semper significat iudicialiter examinare, immo plerumque hanc significationem non obtinet. Itaque iudex potest *audita altera parte* terminum prorogare, nuntianti novum opus, ad ius suum demonstrandum (can. 1676 § 2); nequit mutare formulam dubiorum semel statutam nisi novo decreto, gravi de causa, instante parte vel promotore iustitiae aut defensore vinculi, *audita utraque vel altera parte* (can. 1729 § 4); post evulgatas testificationes non potest iterum interrogare testes vel novos admittere, nisi *altera parte audita* (can. 1786); indemnitatem testium taxet auditis parte et teste (can. 1787 § 2); describat, *auditis partibus*, quae in accessu iudiciali praestanda sint (can. 1806); deliberet, *auditis partibus* et si opus fuerit, promotore iustitiae vel vinculi defensore, num proposita quaestio incidens futilis sit (can. 1839); interlocutoriam sententiam corrigere valet iusta de causa, *auditis partibus* et requisito voto promotoris iustitiae aut defensoris vinculi (can. 1841); quaestionem de attentatis expeditissime definire tenetur, *auditis* partibus, promotore iustitiae et vinculi defensore, si iudicio intersint (can. 1856 § 2); si novas probationes admittendas censeat, id decernat *audita altera parte* (can. 1861); prorogare potest terminum ad defensiones exhibendas, instante una parte, *audita altera*

(can. 1862). In omnibus hisce locis absonum esset verbum audire interpretari de iudiciali examine: partes non excussioni subiiciuntur sed rationes suas afferunt a iudice perpendendas.

Quando autem legislator voluit examen iudiciale iubere adhibuit vel verbum *interrogare* (can. 1742 § 1-2-3; 1743; 1745 § 1; 1750; 1755 § 1-3; 1774; 1786) vel examini *subiicere* (can. 1759 § 4; 1763; 1768; 1770 § 1-2 n. 4; 1969 n. 3); vel *examinare* (can. 1772 § 1); vel *excutere* (can. 1781; 1983 § 2); vel *ad examen vocare* (can. 1781). Si quandoque verbo usus est *audire* (can. 1786; 1983 § 1) evidenter patet ex subiecta materia quonam sensu illud adhibeat: itaque in can. 1758 sermo est de testibus non idoneis et suspectis audiendis; in can. 1770 § 2 n. 2 testibus qui tribunal adire nequenut, sub n. 3 de audiendis a tribunali loci testibus extra dioecesim degentibus; in can. 1786 de testibus iam *auditis* denuo non interrogandis et in can. 1983 de testibus iam excussis iterum non *audiendis*. Exinde facile colligitur vocem *audire* in Codice, licet non univocam acceptionem habeat, tamen plerumque excussionem iudicialem non significare. Si paucis tantum in locis hoc sensu adhibetur, id fit talibus in adiunctis ut absque ambiguitate intelligi possit eius significatio. Ergo ex solo verbo audire can. 1709 § 3 non possumus iudicialem excussionem exigere, cum neque ex textu et contextu neque ex usu huius verbi in Codice necessario haec significatio depromatur. Nec intelligimus cur apud Wernz-Vidal (*Ius Canonicum* Tom. IV, *De processibus*, editio recognita a P. Cappello, Romae 1949, n. 376) exigatur *citatio partis*.

Iudex quidem poterit, si opportunum ducat partem recurrentem interrogare iudicialiter; immo est recurrens ipse vel eius patronus, si habeatur, qui saepe id petit v. g. cum agitur de explorando melius dolo in exclusione alicuius boni in matrimonio, sed minime ad hoc adigitur vi canonis 1709 § 3 et art. 66 *Instr. S. Congr. Sacramentorum*.

B) Stylus S. R. Rotae luculenter id demonstrat: rarissime enim Tribunal Apostolicum excussioni iudiciali subiicit recurrrentem, atque, si fiat, fere semper ad instantiam patroni ipsius. Immo quandoque huic instantiae restitit, ob peculiaria et gravia motiva, defensor vinculi hoc ratione fretus, sc. sufficientia elementa in libello et in recurso inveniri ad iudicium ferendum (ita v. g. in quadam *Dublinem.*, *Nullitatis Matrimonii*, *super reiectione libelli*, *coram Teodori*, Prot. n. 4519, votum defensoris vinculi diei 26 oct. 1949). Praxis vero sueta est ut recepto recursu requiratur votum defensoris vinculi vel promotoris iustitiae, si iudicio debent interesse, atque perpendantur tum ea quae in libello asseruntur tum rationes a parte allatae sive in recursu sive in memoriali patroni, si constitutus fuerit, atque decretum feratur. Ita decretum *c. Mattioli* diei

27 iulii 1949 in causa *Calaritana* N. M. *Reiectionis libelli*, prot. N. 4469 huius est tenoris: « Audito R. D. Vinculi Defensore ad praescriptum can. 1709 § 3 ac parte recurrente, quae *in suo recursu* sub die 4 huius mensis *Huic Sacro Tribunali misso sufficienter suum ius illustravit* »; uti patet iudices solummodo recursum et libellum perpenderunt. Decretum *c. Heard* diei 19 iulii 1947 in *Theanen.*, *Null. Matr. Reiectionis libelli*, prot. n. 3899 habet: « perlectis libello actoris diei 30 aug. 1946 simul cum testimonio scripto medici diei 11 nov. 1946 necnon decreto reiectionis libelli... et appellatione actoris diei 11 ian. 1947, *auditis patrono actoris* et R. D. Defensore Vinculi H. S. Tribunalis... ». Auditus fuit patronus per memoriale quo actoris rationes illustratae fuerunt. In causa *Templen.*, *Null. Matr. Reiectionis libelli*, *c. Pecorari* Prot. n. 3276 latum fuit decretum Turni die 3 februarii 1943 perpenso libello et recursu atque audito voto Defensoris Vinculi et Promotoris iustitiae. Eodem modo scil. attento libello, pensato recursu et audito voto defensoris vinculi decisa est per decretum diei 27 nov. 1943 quaestio praeiudicialis de reiectione libelli in una *Vilnen.*, *Null. Matr. coram Exc.mo Jullien*, prot. n. 3087; in causa *Florentina N. M. Reiect. lib. coram Mattioli* Prot. n. 4314 per decretum diei 11 maii 1949; in *Calaritana N. M. Reiect. lib. c. Canestri* prot. n. 4028 per decretum diei 20 nov. 1948, etc.

Concludentes: auditio partis de qua in can. 1709 § 3 C. I. C., et in art. 66 Instr. S. C. Sacram. non necessario facienda est iudiciali excussione, sed satis erit perpendere eius scripturam memorialem vel rationes in recursu allata.

Ioannes M. Pinna
Defensor Vinculi apud S. R. Rotam

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

INDISSOLUBILITA' DEL MATRIMONIO CIVILE — IN TEMA DI VILIPENDIO DELLA RELIGIONE DELLO STATO — L'ART. 72 C. P. C. E LA SUA APPLICAZIONE.

In Prima Parte, indolis historicae, A. describit originem et evolutionem modi ac tituli quibus clericis congrua sustentatio providetur. Iam fine saec. VI probata universaliter manet Ecclesiae cura tribuendi clericis, etiam indignis, congruam sustentationem (p. 9 ss.) ex bonis ecclesiarum, quocum connectitur et legitimatur ecclesiarum dotatio. Aetate carolingica, post expoliationes bonorum in damnum ecclesiarum peractas, iterum ecclesiae bona recipiunt vel eisdem a detentoribus bonorum ecclesiasticorum quaedam solutiones praestantur (p. 26 ss.). In sequenti periodo ipsum patrimonium ecclesiasticum in plures dividitur massas bonorum individuas praebendas pro singulis clericis constituentes (p. 33 ss.), horumque clericorum iura firmiter tuentur. (p. 36 ss.).

Decretum Gratiani illustrat fines, quibus destinantur bona clericis tributa et contra exigentias Episcopi non raro vindicata (p. 46 ss.). In defectu vero bonorum ecclesiarum, occupationes non ecclesiasticae clericis permittuntur vel ad alios fontes redituum recursus fit. (p. 47).

Saec. XIII fortius urgetur principium quod clericus nequit ordinari nisi valeat a suo titulo sustentationem obtinere et hunc in finem definitur quanam quantitate bonorum ecclesia aliqua debeat esse dotata (p. 50 ss.); tunc sustentatio consideratur in sua habitudine ad circumstantias personales clerici (p. 54 ss.) et in suo ambitu seu extensione (p. 58 ss.). Conc. Tridentinum insistit in necessitate tituli pro clerico ordinando (p. 60), vetat vero pluralitatem beneficiorum et definit minimum necessarium congruae sustentationis imponendo obligationem impendendi superfluum in pios usus (p. 61 ss.). Illo tempore, attentis adiunctis in quibusdam regionibus extantibus, necessarium apparuit pro ordinatione titulos admittere, qui non erant immediate fons reddituum (p. 69 ss.), scilicet titulus missionis, servitii dioecesis et mensae.

Pro saec. XVII et sequentibus A. exponit plures quaestiones inter Canonistas exagitatas, nempe: quaenam reditus seu emolumenta sint computanda pro congrua sustentatione in casu beneficii (p. 73 ss.); quaenam elementa seu adiuncta sint consideranda pro definienda congrua sustentatione (p. 82 ss.). Eodem tempore tentamina habentur determi-

nandi summam necessariam pro congrua sustentatione et obligatio tradendi superfluum ad pios usus semper urgetur. (p. 89 ss.). Pro hoc tempore A. agit etiam de sustentatione debita ratione tituli servitii dioecesis et missionis. (p. 97 ss.).

Quae in parte historica exponuntur ab A. documentis et citationibus fontium et Auctorum solide fulciuntur.

In Secunda Parte, quae expositiva est, A. ius Codicis c. 979 et 981, exhibet et illustrat: in primis tradit conceptum et ambitum congruae sustentationis. Ideo in hac Parte enumerantur ea quae necessaria censentur pro convenienti et secura ratione vivendi (p. 111 ss.) et elementa seu rationes ponderantur quae interveniunt in determinatione illius rationis vivendi: dignitas et meritum clericorum (p. 118 ss.), circumstantiae loci et temporis (p. 123 ss.). His omnibus attentis Ordinarius congruam sustentationem definiet; hunc in finem ipse prae oculis habere debet quod congrua sustentatio non est determinanda iuxta minimum quod requiritur pro vita (p. 127 ss.); quodsi tamen superflua habentur haec in pios usus sunt impendenda (p. 132 ss.).

Considerat postea A. congruam sustentationem in specie pro singulis classibus clericorum: pro Parochis, iuxta diversas eorumdem necessitates et peculiaria adiuncta (p. 137 ss.); pro Vicariis (p. 156 ss.); pro sacerdotibus qui in peculiaribus adiunctis versantur: studiis vacantibus (p. 169 ss.), inhabilitate vel senectute affectis (p. 175 ss.); pro diaconis et subdiaconis (p. 183 ss.); pro clericis propter delicta poenis affectis: censura (p. 185 ss.), poena vindicativa (p. 187 ss.), et in concreto depositis (p. 193 ss.) vel iure deferendi habitum ecclesiasticum privatis. (p. 197 ss.).

Sic totum argumentum ab A. absolvitur atque completur per nonnullas generales conclusiones.

P. Aelius Gambari s. m. m.

DOCUMENTA
ET
CHRONICA

DOCUMENTA

11 Januarii 1951 — *Allocutio S. Pontificis ad Patritiatum Romanum*:

Nobiles Romani, incipiente novo anno, omina, prout solent quotannis, Summo Pontifici obtulerunt. Qui, gratias iisdem agens, inter alia affirmavit Annum Sacrum, nuper transactum, maximos fructus attulisse in ordine morali et supernaturali, cuius effectus et gloria annotanda sunt in annalibus Nobilium Romanorum. Oportet ut Annus Sacer, a gratia sanctificatus, aestimetur initium et augmentum novae vitae; eiusdem effectus augendi sunt ideo actibus ac firmis propositis. S. Pontifex hortatur Patritios Romanos ad aestimanda una simul cum veteribus etiam nova tempora, ita ut Nobiles suprematiam quamdam obtineant, non tantum ratione sanguinis et familiae, sed et ratione operum, sacrificiorum et actionum in societatis utilitatem. Ad hunc finem obtinendum exstat obligatio tum hominis tum civis; datur immo praeceptum fidei a patribus acceptum et integre heredibus transferendum.

Qua de causa, evitanda est quaelibet pusillanimitas et incertitudo ob temporum evolutionem. Nam romanum esse aequivalet fortem esse in operando; christianum esse aequivalet probationes ac poenas, obligationes et temporum necessitates pati magna cum fortitudine et constantia ac spiritus serenitate. Verba enim fidei et victoriae Christianae — « non confundar in aeternum » — maximam infundunt fiduciam.

14 Februarii 1951. *Conditiones Religionis in Polonia.*

Post bellum, Ecclesia catholica in Polonia pacem minime obtinuit. Quamvis enim Gubernium Reipublicae saepe affirmavisset se tueri velle libertatem Religionis, tamen praxi frequenter iura Ecclesiae violavit et coarctavit activitatem associationis cui nomen, « Caritas », cuius dimisit moderatores. Qua de causa die 24/1/1950 Em.mus Card. Sapieha et die 30/1/1950 Episcopatus protestati sunt contra Gubernium.

Post multas difficultates, die 16/4/1950 edita est quaedam conventio seu declaratio communis inter Episcopatum et Gubernium, absque tamen S. Sedis auctoritate, quae in casu necessaria erat, cum, ratione Primatus, S. Pontifex sibi reservasset conventiones internationales inire.

At contra eiusdem conventionis articulos saepe egit Gubernium Reipublicae, libertatem coarctans tum scholarum catholicarum quum ministerii sacerdotalis. Quam persecutionem contra Ecclesiam Catholicam apicem attigit occasione subscriptionis sic dictae declarationis pro pace.

Quapropter Episcopatus Poloniae, in conventu generali Czestochowa coadunatus die 12-13 Septembris 1950, ad Praesidem Reipublicae epistulam misit ad libertatem iuraque Ecclesiae catholicae tuenda.

Inter alia, Episcopatus, examinans conditiones Ecclesiae catholicae elapso quinquennio, iure meritoque affirmat in praedicta periodo Ecclesiam passam esse innumeras difficultates ac contrarietates in suae missionis exercitio. De quibus abusibus frequenter loquuti sunt Episcopi, qui tamen, attentis temporum ac rerum difficultatibus, maxima cum

prudentia aestimarunt rerum conditiones; iura quidem Ecclesiae et religionis libertatem vindicarunt, quin tamen ne indirecte quidem contra auctoritatem civilem aliquid egissent, spiritum pacis in fidelium animis infuderunt, operam navantes religiosae et morali populi institutioni.

Quamvis enim Gubernium Reipublicae recognoscat populum esse quam maxime catholicum, in praxi tamen innumeras praescriptiones habet contra libertatem conscientiae et ipsam religionem. In scholis enim educatio est materialistica et contra Ecclesiam, prout patet ex libris scholasticis et restrictionibus alumnis impositis, quorum libertatem et iura civilia Status coarctatur. Quare omnia praxi sunt violationes conventionis, a gubernio eodem editae, de relationibus Ecclesiam inter et Rempublicam.

Magna cum frequentia iuvenibus et pueris imponitur obligatio accedendi ad scholas areligiosas T. P. D. (Societas Amicorum Pueri); quin imo paulatim omnes scholae mutantur in scholis T. P. D. vel minuuntur horae institutionis religiosae.

Quamvis autem Gubernium saepe declaraverit in vita civili magni momenti esse Ecclesiam nec contra Eamdem velle persecutionem agere; quamvis insuper idem Gubernium plures sanctuarios suis opibus reaedificaverit; tamen, violans art. 10 praedictae conventionis, contra scholas catholicas, frequenter egit, associationes religiosas pro iuvenibus impedivit, iisdem imponens obligationem adhaerendi associationi Z. M. P., quae statutum habet materialisticum et contrarium praecepto caritatis.

Occasione sic dictae « actionis pro pace » idem Gubernium a scholis dimisit multos sacerdotes magistros, qui plerumque noluerunt proprium nomen dare dictae actioni, nec profecto ulla huiusmodi obligatio per se aderat. Quibus dimissionibus grave damnum allatum est tum Ecclesiae, quum magistris, iuvenibus eorundemque parentibus.

Ad pacem consequendam Ecclesia tenetur operam suam praestare, sed Eiusdem officium est uti mediis moralibus et religiosis, exclusis politicis.

Quoad regiones Poloniae post bellum adnexas, Episcopi, quamvis de hoc prompti sint ad relationem S. Sedi exhibendam, maximam tamen difficultatem inveniunt ex parte Gubernii in eadem relatione paranda. Contra Ecclesiam exorta est associatio quaedam sacerdotum sic dicta « Sacerdoti Patriotti », quorum periodicum « Vox sacerdotalis » loquitur contra S. Sedem et sacerdotium, conatur inculcare spiritum ereticum inter ipsos sacerdotes. Praeterea Episcopi varias animadversiones exhibent contra statutum associationis, cui nomen « Caritas » et statutum « Pro Officio Confessionum », in quibus plurae dantur decisiones et resoluutiones laedentes libertatem Ecclesiae et ostendentes intentionem Gubernii coarctandi Ecclesiae activitatem, praesertim quoad Seminaria et scholas. Conqueruntur insuper Episcopi quosdam sacerdotes subiici vigilantiae auctoritatis civilis, alios in carceribus detineri. Quae vigilantia saepe extenditur ipsis Episcopis, quorum officium pastorale omnibus modis et mediis coarctatur, quamvis adsint ex parte Gubernii promissiones tuendi libertatem conscientiae et religionis.

Praeterea Gubernium coarctatur activitatem educatricem et beneficam domorum religiosarum, quae quandoque privantur etiam bonis

immobilibus (v. g. Sorores Magdalenae loci Plock et Sorores Congregationis Caritatis loci Varsavia), quare privantur etiam ipsa possibilitate suis obligationibus satisfaciendi.

Quibus praemissis, Episcopi Poloniae petunt a Gubernio Reipublicae ut cesset persecutio religiosa contra Ecclesiam catholicam et aequa libertas Eidem concedatur.

Exc.mus Alfridus Ottaviani, Adsessor Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, in *Osservatore Romano* diei 4 Februarii 1951, sub titulo « *Siate, o cristiani, a muovervi più gravi* », quasdam opportunas animadversiones exposuit circa notitias, quae ultimis hisce temporibus pervulgantur de visionibus factisque supernaturalibus.

Attentis argumenti gravitate atque auctoritate praelaudati Praelati, opportunum ducimus hic integre referre citatum articulum.

Nessun cattolico mette in dubbio non solo la possibilità, ma la stessa realtà del miracolo.

La missione e la natura divina di Cristo è stata dimostrata anche dai grandi e numerosi miracoli che il Signore ha operato su questa terra: la Chiesa nascente, poi, ha superato le prime difficoltà e le persecuzioni, perchè sostenuta da una particolare assistenza dello Spirito Santo, resa quasi tangibile dai carismi di cui godevano gli Apostoli e molte anime elette delle prime generazioni cristiane.

Una volta consolidata la Chiesa, i doni carismatici, come è ben comprensibile, sono diminuiti, ma non sono cessati.

L'assistenza del Divino Spirito e la presenza di Cristo nella sua Chiesa dureranno fino al termine dei secoli, e questa assistenza si manifesta anche coi segni del soprannaturale: coi miracoli.

Per limitare la nostra esemplificazione, basta accennare ai miracoli che sono presi in esame per procedere alla Beatificazione dei Servi di Dio e alla Canonizzazione dei Beati. Essi vengono accertati rigorosamente sia dal punto di vista scientifico che da quello teologico. Tutti poi conoscono con quanto scrupoloso rigore sono esaminate le guarigioni miracolose che avvengono a Lourdes.

Non ci si voglia quindi accusare di essere nemici del soprannaturale, se ora ci accingiamo a mettere in guardia i fedeli dalle incontrollate asserzioni di pretesi eventi soprannaturali, che ai giorni nostri pullulano un po' dappertutto e creano il pericolo di vedere screditato il vero miracolo.

Del resto Gesù stesso ci aveva già messo in guardia contro i « falsi cristi e i falsi profeti » i quali « faranno grandi segni e prodigi così da sedurre, se fosse possibile, anche gli eletti » (Matth. XXIV, 24). *E fatti del genere sono avvenuti fin dai primissimi tempi della Chiesa* (Cfr. Act. Apost. VIII, 9). *Perciò è un diritto e un dovere del Magistero della Chiesa dare un giudizio sulla verità e sulla natura di fatti o rivelazioni che si asseriscono avvenute per uno speciale intervento divino.' Ed è un dovere di tutti i buoni figli della Chiesa di sottomettersi a questo giudizio.*

* * *

Come su tutte le madri, ricadono su la Chiesa i più onerosi e dolorosi doveri: e come su tutte le madri, qualche volta tocca alla Chiesa, non soltanto di dover agire, ma di dover patire, tacere e aspettare. Cinquanta anni fa, chi si sarebbe immaginato che la Chiesa dovesse oggi mettere in guardia i suoi figli, e anche alcuni Sacerdoti, contro le asserite visioni, contro i pretesi miracoli, contro insomma tutti quei fatti qualificati come preternaturali, che da un continente all'altro da un paese all'altro, un po' da per tutto attraggono ed eccitano le folle?

Allora con tanto scientismo e positivismo in giro, avrebbe fatto ridere chi avesse prestato attenzione e dato credito a coteste che si chiamavano superstizioni dell'età oscura· allora si voleva male alla Chiesa, che sola si ostinava a difenderne la esistenza, il valore spirituale, negativo o positivo, la bellezza o la bruttezza. Uno dei temi più frequenti e solenni dell'Apologetica era allora il miracolo.

Ora la Chiesa deve ammonire i suoi figli, per bocca dei suoi Vescovi e ripetendo parole del Divino Maestro (cfr. Matth. XXIV, 24) *a non lasciarsi fuorviare facilmente da simili avvenimenti, e a non crederci se non ad occhi bene aperti, e previe tutte le più autorevoli inchieste e risultanze.*

Assistiamo da anni ad un rincrudimento di passione popolare per il meraviglioso, anche in fatto di religione. Torme di fedeli si recano sul luogo di presunte visioni e pretesi prodigi e desertano invece la Chiesa, i Sacramenti, la predica.

Persone che ignorano le prime parole del Credo, si fanno apostoli di religiosità ardente. Qualcuno non si perita di parlare del Papa, dei Vescovi, del Clero, in termini di nettissima riprovazione, e poi si indigna che non prendano parte, in frotta col popolo, a tutte le incandescenze ed a tutte le escandescenze di certi moti popolari.

La cosa, per quanto faccia dispiacere, non fa meraviglia.

Nell'uomo è un sentimento naturale anche il sentimento religioso. Come l'uomo è un animale ragionevole, com'è un animale politico, così è un animale religioso. Il peccato originale, portando il disordine e lo scompiglio nella natura dell'uomo e in tutti i suoi sentimenti, ha attaccato, per così dire, anche il sentimento religioso. Si spiegano pertanto le deviazioni e gli errori di tante religioni naturali, nè più nè meno come si spiegano tante altre storture della storia dell'uomo. Vero è che, in tema di religione, simili errori fanno più pena.

Se non che la Rivelazione e la Grazia, venendo a redimere l'uomo dalle sue oscurità e manchevolezze, hanno anche, e soprattutto nell'ordine religioso, restituito l'uomo alla rettitudine della sua natura. E questa Grazia, risanata la natura ferita e malata, largisce in più alla natura stessa sovrabbondanti forze per il servizio e l'amore di Dio: forza di luce, fiamma di calore.

E' nata dalla parola e dal sangue di Gesù la Chiesa, custode e interprete della vera Religione.

Non bisogna credere che si è religiosi, comunque lo si sia: bisogna

esserlo bene. Ci possono essere, e ci sono, deviazioni del sentimento religioso, non meno che degli altri sentimenti. Il sentimento religioso dev'essere guidato dalla ragione, alimentato dalla Grazia, governato dalla Chiesa, come tutta la nostra vita, e più severamente. C'è un'istruzione, c'è un'educazione, c'è una formazione religiosa. Coloro che hanno con tanta leggerezza combattuto l'autorità della Chiesa e il sentimento religioso, oggi si trovano di fronte ad impressionanti esplosioni d'un sentimento religioso istintivo, senza nessun lume più di ragionevolezza, senza più nessuna consapevolezza di grazia, senza nessuna rèmora, nessun governo: tanto è vero che sfociano in deplorevoli disobbedienze all'Autorità Ecclesiastica, intervenuta a mettere il dovuto freno. Così è accaduto in Italia in seguito alle asserite visioni di Voltago, in Francia per i fatti di Espis e di Bouxières con i collegamenti di Hamsur-Sambre (Belgio), in Germania per le visioni di Heroldsbach, negli Stati Uniti per le manifestazioni di Necdah (La Crosse), e potrei continuare citando esempi in altri paesi, vicini e lontani.

Il periodo che stiamo attraversando sta tra questi due eccessi o della irreligione aperta e spietata, o della religiosità sconfinata e cieca. La Chiesa, perseguitata dagli uni, compromessa dagli altri, non fa che ripetere il suo materno monito, ma la sua parola resta inascoltata tra la negazione degli uni e la esaltazione degli altri.

La Chiesa non vuole di certo mettere in ombra ciò che Iddio compie di prodigioso, ma vuole soltanto tener desti i fedeli su ciò che viene da Dio, e ciò che non viene da Dio, e che può venire dal suo e nostro avversario essa è nemica del falso *miracolo.*

Un buon cristiano sa, e lo sa dal suo Catechismo, che la vera Religione sta nella vera Fede, sta nella Rivelazione, la quale si conchiude con la morte dell'ultimo Apostolo ed è affidata alla Chiesa, che ne è interprete e custode.

Null'altro ci può essere rivelato di necessario alla nostra salvezza, non abbiamo nulla da attendere, abbiamo — se volessimo valercene — tutto. Anche le visioni più accreditate possono fornirci nuovi motivi di fervore, non nuovi elementi di vita e di dottrina. La vera religione sta essenzialmente, oltre che nella conoscenza, nell'amore di Dio e nel conseguente amore del prossimo: e l'amore di Dio, prima ancora che in atti di culto e di rito, sta nel fare la volontà di Dio, e cioè nell'obbedire ai suoi precetti. In questo sta la vera religione.

Un buon cristiano sa che nei Santi stessi, la santità non consiste, di natura sua, nei doni preternaturali di visioni, profezie, prodigi, ma sta tutta nell'esercizio eroico della virtù. Altro è che Iddio, in certo modo, autentichi con il miracolo la santità, altro è che la santità stia nel miracolo. Noi non dobbiamo scambiare quello che è la santità con quello che ne può essere e ne è, regolarmente, un contrassegno immancabile, ma non sempre talmente chiaro da non aver bisogno del necessario controllo dell'Autorità Religiosa.

L'insegnamento della Chiesa non è stato mai equivoco in proposito e chi va dietro, piuttosto che alla parola di Dio, ad eventi di dubbia interpretazione, ama più il mondo che Dio. Anche quando l'Autorità del-

la Chiesa canonizza un Santo, non per ciò solo garantisce il carattere preternaturale di tutti i suoi fatti straordinari e tanto meno approva tutte le sue opinioni personali: ancor meno garantisce quanto narrano, spesso con imperdonabile leggerezza, biografi più ricchi di fantasia che di giudizio.

Per essere religiosi occorre, torniamo a dire, esserlo bene e a dovere. Per essere cristiani ed essere devoti, ci bisogna tutta l'attenzione che poniamo nelle cose più serie della vita. Al buon credente nuoce tanto l'incredulità quanto la credulità. Sta bene, non tutti possono formarsi un'opinione diretta di ogni punto: ma che cosa ci stanno a fare i Vescovi e il Papa?

E' strano: nessuno oserebbe costruirsi da sè una casa, cucirsi un abito, farsi un paio di scarpe, curarsi una malattia. Quando si tratta poi di vita religiosa, si respinge ogni autorità, le si nega ogni fiducia, anzi se ne diffida e si disobbedisce disinvoltamente.

Il Sacerdozio Cattolico è stato negli ultimi duecento anni, e in modo più acuto negli ultimi cinquanta, talmente accusato, insultato, denigrato, così dalla politica come dalla letteratura, che si capisce come i fedeli, solo a grande stento, si avvicinano e riaffiatano col prete. Ma nell'innegabile ritorno a Dio a cui assistiamo, i fedeli debbono vincere ogni prevenzione, e tornare a vivere in comunità di sentimento, di pensiero e di fede col Sacerdote.

Da un decennio a questa parte, mentre la Autorità Religiosa rimane esitante, il popolo rompe ogni indugio e si precipita in massa su fatti meravigliosi, i quali, il meno che si possa dire, sono incontrollati.

Dobbiamo dire onestamente che fenomeni del genere saranno forse fatti di religiosità naturale: non sono però fatti cristiani, e prestano un appiglio pauroso a quanti, nel cristianesimo stesso, e soprattutto nel cattolicesimo, vogliono scoprire a ogni costo infiltrazioni e persistenze di superstizione e paganesimo. Come nella nostra vita morale si insinua la colpa, così può insinuarsi nell'uno e nell'altro individuo cattolico l'errore, e non fa nessuna meraviglia a chi conosce che cos'è l'uomo; ma come la colpa deve essere riconosciuta per colpa, se vogliamo liberarcene, così l'errore. E come la Chiesa ha il potere di rimettere i peccati, così ha la divina missione di riscattarci dall'errore.

Sentano i cattolici la parola di Dio che la Chiesa, e soltanto la Chiesa, serba e ripete integra e incorrotta; e non corrano, come pecore senza pastore, dove altre voci risuonano, le quali vogliono coprire la voce di Dio, se è vero che si oppongono alla voce della Chiesa. Abbiamo la Sacra Scrittura, abbiamo la Tradizione, abbiamo il Pastore Supremo e cento pastori accanto alle nostre case; perchè a chi ci combatte e ci disprezza, dobbiamo dare spettacolo di fatuità o di insana esaltazione? « Siate, cristiani, a muovervi più gravi », scriveva già ai suoi tempi Dante, « non siate come penna a ogni vento »; ne dava le stesse ragioni che ne diamo noi: « avete il vecchio e il nuovo Testamento - e il Pastor della Chiesa che vi guida »; e concludeva come noi concludiamo: « Questo vi basti a vostro salvamento » (Par. V, 73-77).

CHRONICA

ACTA PII PP. XII

EPISTULAE ENCYCLICAE:

6 Decembris 1950 — *Ep. Encycl., qua iterum inducuntur supplicationes ad populorum concordiam conciliandam.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 797-800).

Inter alia, Summus Pontifex asserit fideles per Annum Sacrum Romam pia peregrinatione confluentes mirabile spectaculum dedisse concordiae et testatos esse pacem velle. Ad quam facilius obtinendam tantum christiana religio confert ac valere potest, ut animi renoventur hominum, cupiditates compescantur et odia sedentur. Quapropter R. P., prout solet quotiescumque serenitas caeli tristibus infuscatur nubibus, invitat omnes fideles ad populorum pacem ac concordiam impetrandam publicis indictis supplicationibus, praesertim media nocte, qua incipit festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. et cum novendiales supplicationes ante natalicia solemnia Jesu Christi ex more habentur.

Quibus praemissis, S. P. prosequitur: « neque praetermittatur a na-
« to Redemptore ab eiusque divina Matre supplicibus efflagitare precibus,
« ut catholica religio, quae humanae societatis est civilisque cultus
« tutissimum fundamentum, in omnibus Nationibus debita libertate frua-
« tur, utque ii — qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, — ii qui
« ob fortiter vindicata sanctissima Ecclesiae iura in carceribus detinen-
« tur, vel extorres e sua sede deturbati sunt, atque ii etiam, qui exsules
« e patriis laribus misere vagantur, vel adhuc in captivitate iacent,
« supernis afficiantur solaciis, idque tandem auspicato habeant, quod
« flagrantissimis votis incensoque desiderio praestolantur ».

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE:

26 Maii 1950 — *Const. Apost., qua Praefectura Apostolica de Keng-Tung in Vicariatum Apostolicum evehitur.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43, p. 60-61).

24 Junii 1950 — *Const. Apost., qua a Vicariatus Apostolici Amboinaënsis territorio pars meridionalis seiungitur, quae in novum Vicariatum Apostolicum, Meraukensem nomine, erigitur.* (*A.A.S.* 30/1/1951 - vol. 43; p. 61-63).

24 Junii 1950 — *Const. Apost., qua a Praefectura Apostolica Hollandiae territorii pars seiungitur, quae Vicariatui Apostolico Amboinaënsi adnectitur.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 63-64).

24 Junii 1950 — *Const. Apost., qua a Vicariatus Apostolici Musomensis et Maswensis territorio septentrionalis pars seiungitur et nova erigitur Praefectura Apostolica Musomensis nomine.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 65-66).

24 Junii 1950 — *Const. Apost., quibus Praefectura Apostolica* Arcis Victoriae *in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis evehitur.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 97-98).

24 Junii 1950 — *Const. Apost., quibus Praefectura Apost.* De Pingliang *in dioecesim erigitur, nomine* Pimliamensem. (*A.A.S.* - 31/3/1951 - vol. 43, n. 4, p. 145-147).

10 Julii 1950 — *Const. Apost., quibus a Vicariatus Apostolici insularum Sundae minorum territorio insulae Bali et Lombok distrahuntur, quarum territorium in novam Praefecturam Apost.,* Denpasarensem *nomine, erigitur.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 99-100).

14 Julii 1950 — *Constit. Apost., quibus Praefectura Apost.* Lusakensis *in Vicariatum Apostolicum erigitur.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 100-101).

14 Julii 1950 — *Const. Apost., quibus nova praefectura Apostolica* Yolaënsis *erigitur a Praefecturis Apost. Josensi et Oturkoënsi atque a dioecesi Bueaënsi provincia civilis Adamawa una cum portione orientali provinciae de Bornu seiuncta.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 102-103).

14 Julii 1950 — *Const. Apost., quibus Praefectura Apost.* De Pilcomayo *in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis erigitur.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 103-104).

15 Julii 1950 — *Const. Apost., qua in Pakistano Statu dioecesium aliquot fines aliter circumscribuntur et duae novae provinciae ecclesiasticae Karachiensis et Dacchensis eriguntur.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 66-69).

25 Julii 1950 — *Const. Apost., quibus a* Changacherensis *dioecesis ritus Syro-Malabarici territorio pars seiungitur, quae in novam dioecesim erigitur, nomine* Palaiensem. (*A.A.S.* - 31/3/1951 - vol. 43, n. 4, p. 147-150).

10 Augusti 1950 — *Const Apost., quibus a Praefectura Apost.* Kaohsungensi *pars territorii seiungitur, quae in novam Praefecturam apost. erigitur, nomine* Taichungensem. (*A.A.S.* - 31/3/1951 - vol. 43, n. 4, p. 150-151).

11 Augusti 1950 — *Dioecesis* Zamboangensis *territorium dismembratur et nova erigitur Praelatura « Nullius », nomine* Cotabatensis et Suluensis. (*A.A.S.* - 31/3/ 1951 - vol. 43, n. 4, p. 152-154).

12 Decembris 1950 — *Const. Apost., quibus Episcopalis ecclesia Titulo Sionensis ad Archiepiscopalis dignitatis gradum extollitur.* (*A.AS.* 31/3/ 1951 - vol. 4, n. 4, p. 154-155).

LITTERAE APOSTOLICAE:

9 Novembris 1945 — *Litt. Apost., quibus B.M.V. Immaculata totius dioecesis Raleighiensis Patrona praecipua renuntiatur.* (*A.A.S.* - 26/12/1950, vol. 42; p. 875-876).

7 Maii 1948 — *Litt. Apost., quibus Ecclesia SS. Trinitatis in loco « Goessweinstein », dioecesis Bambergensis, titulo Basilicae Minoris insignitur.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 69-71).

30 Maii 1948 — *Litt. Apost., quibus Ecclesia cathedralis Seguntinae civitatis insignitur titulo Basilicae Minoris.* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 876-878).

28 Octobris 1949 — *Litt. Apost., qua paroecialis ecclesia B. M. V. Perdolentis, in civitate* Pernambuco *Olindensis et Recifensis archidioecesis, titulo Basilicae Minoris insignitur.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 105-106).

17 Julii 1950 — *Litt. Apost., quibus Delegatio Apostolica « De Karachi » erigitur in Pakistan.* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 878-879).

15 Octobris 1950 — *Litt. Apost., quibus Venerabilis Dei Famula* Anna Maria Javouhey *virgo, Instituti sororum a S. Joseph de Cluny fundatrix, Beata renuntiatur.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 801-806).

12 Novembris 1950 — *Litt. Apost., quibus Venerabilis Dei famula* Margarita Burgeoys *virgo, Congregationis sororum a Nostra Domina fundatrix, Beata renuntiatur* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 879-883).

29 Januarii 1950 — *Litt. Apost., quibus ecclesia paroecialis et collegialis S. Pauli in civitate Canturio, dioecesis Mediolanensis, titulo Basilicae Minoris insignitur.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 71-73).

29 Martii 1950 — *Litt. Apost., quibus paroeciale templum S. Magni in oppido « Legnano », archidioecesis Mediolanensis, titulo Basilicae Minoris insignitur.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 73-74).

13 Maii 1950 — *Litt. Apost., quibus ecclesia B. M. Virginis de Monte Carmelo, in urbe et archidioecesi S. Pauli in Brasilia, titulo Basilicae Minoris insignitur.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 75-76).

14 Junii 1950 — *Litt. Apost., quibus cathedralis Brixienensis titulo Basilicae Minoris insignitur.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 76-78).

31 Julii 1950 — *Litt. Apost., quibus B. M. Virgo « A miraculis » in ecclesia Ordinis S. Benedicti in oppido « Casalbordino » exstante, totius Ortonensis dioecesis Patrona praecipua Caelestis declaratur.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 79-80).

10 Junii 1950 — *Litt. Apost., qua ecclesia paroecialis* Prumiensis, *dioecesis Trevirensis, Divino Salvatori dicata, titulo Basilicae Minoris insignitur.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 106-107).

14 Junii 1950 — *Litt. Apost., qua ecclesia Cathedralis* Halifaxiensis, *in dicione Canadensi, titulo Basilicae Minoris insignitur.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 108-109).

25 Junii 1950 — *Litt. Apost., qua paroeciale templum S. Nicolai Myrensis, in oppido* Saint-Nicolas-de-Port, *Nanciensis dioecesis, titulo Basilicae Minoris insignitur.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 109-110).

31 Julii 1950 — *Litt. Apost., qua B. M. Virgo A Miraculis, totius dioecesis* Vastensis *Patrona Caelestis declaratur.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 111-112).

31 Julii 1950 — *Littera Apost., qua* B. M. Virgo « a miraculis », *in aede loci v. « Casalbordino » venerata, totius dioecesis Theatinae Patrona praecipua constituitur.* (*A.A.S.* - 31/3/1951 - vol. 43, n. 4, p. 156-157).

20 Septembris 1950 — *Littera Apost., qua Ecclesia « Corpus Domini » in urbe et archidioecesi Mediolanensi, titulo Basilicae minoris insignitur.* (*A.A.S.* 31/3/1951 - vol. 43, n. 4, p. 157-159).

18 Februarii 1951 — *Littera Apost., qua* Venerabilis *dei famulus* Albericus Crescitelli, *sacerdos et martyr, Beatus renuntiatur.* (*A.A.S.* 31/3/ 1951 - vol. 43, n. 4, p. 159-163).

EPISTULAE:

15 Maii 1950 — *Epist. ad Rev.mum* P. Edmundum Corkell, *Congregationis Presbyterorum S. Basilii de Toronto Moderatorem Generalem: saeculo impleto ab apostolatu intra Canadenses fines incepto.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 87-88).

6 Septembris 1950 — *Epistula, qua Em.mum Card.* Ernestum Ruffini, *Archiep. Panormitanum, Legatum mittit ad conventum ob studia sacerdotalia fovenda ac iuvandos sacerdotii tirones in urbe Rosarii.* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 884-886).

9 Septembris 1950 — *Epistula, qua Em.mum Card.* Ernestum Ruffini, *Archiep. Panormitanum, mittit Legatum ad conventum Eucharistichum e tota Argentina in urbe Rosarii.* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 886-887).

In urbe Rosarii concelebrantur Congressus Eucharisticus et Conventus ad studia sacerdotalia fovenda ac sacerdotii tirones iuvandos. Duo Congressus apte cohaerent, cum Eucharistia et Sacerdotium ita dogmatice inter es connectuntur, ut rescindi nequeant; proinde etiam in vitae actione apparet opportunitas geminatae celebrationis.

Maxima cura et voluntas Conventus esse debent sacerdotum agmina parare ad necessitates fidelium, ita ut neque exigui sint neque obeundis muneribus impares. Asseritur deinde Opus sacerdotalium vocationum, a Pio XII institutum *Motu Proprio* diei 4/11/1941, in Republica Argentina altiores semper radices figere quatenus, dum « de catholico sacer- « dotio recte mentes informat, acuit in populo voluntatem sacerdotii « tirones opibus iuvandi, precum praesidium iisdem et sacerdotibus ipsis « accumulat ».

Votum duorum Congressuum sit ut Ecclesiae in Argentina splendidae cohortes sacerdotum obtineantur.

16 Septembris 1950 — *Epistula, qua Em.mum Card.* Bernardum Griffin, *Archiep. Westmonasterriensem, eligit Legatum ad solemnia celebranda ob impletum saeculum a restauratione Hierarchiae Catholicae in Anglia et Cambria.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 806-807).

23 Septembris 1950 — *Epistula, qua Em.mum Card.* Emmanuelem Gonçalves Cerejeira, *Patriarcham Lisbonensem, eligit Legatum ad solemnia celebranda quarto exeunte saeculo ab obitu S. Joannis de Deo.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 808-809).

18 Octobris 1950 — *Epistula ad Rev.mum* Joachim Carreira, *Rectorem Collegii Lusitanorum, ob quinquagesimum eiusdem Collegii fundationis annum.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 809-810).

4 Decembris 1950 — *Epist. ad Em.mum Cardinalem* FUMASONI BIONDI, *S. Consilii Catholicae Propagandae Fidei Praefectum: de assignanda die singulis annis ad opus Ponitf. a S. Infantia precibus ac collata stipe promovendum.* (*A.A.S.* - 30/1/1051 - vol. 43; p. 88-89).

12 Decembris 1950 — *Epist. ad Em.mum Card.* ALEXANDRUM VERDE, *Patriarchalis Basilicae Liberianae Archipresbyterum, quina lustra implentem a R. Purpurae dignitate suscepta.* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 89-90).

21 Decembris 1950 — *Epistula ad Em.mum Card* IULIUM SALIÈGE, *Archiepiscopum Tolosanum, quina lustra episcopatus implentem.* (*A.A.S.* - 31/3/ 1951 - vol. 43, n. 4, p. 164).

NUNTII RADIOPHONICI:

1 Octobris 1950 — *Nuntius Radiophonicus, pro christifidelibus Londini coadunatis datus, ad solemnia celebranda ob impletum saeculum a restauratione Catholicae Hierarchiae in Anglia et Cambria.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 825-827).

10 Decembris 1950 — *Nuntius Radiophonicus, delegatis viris ab Actione catholica Lusitaniae, ob conventum primum nationalem Olyssippone coadunatis.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 118-122).

24 Decembris 1950 — *Nuntius Radiophonicus universi orbis Episcopis* et christifidelibus datus, pridie pervigilii Nativitatis D. N. Jesu Christi, anno 1950. (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 49-59).

S. Pontifex, gratias Deo agens ob felicem exitum Anni Sacri, nuper elapsi, qui innumeros fructus spirituales attulit, memorat eventus praecipuos et praesertim peractas investigationes de sepulchro B. Petri, de quo, inter alia, ait: « Se però durante l'Anno Santo la Confessione di « S. Pietro in Vaticano è stata testimone e centro di così imponenti « manifestazioni della unità dei cattolici di tutto il mondo nella fede « e nell'amore, la gloria di questo luogo sacro ha avuto anche in un « altro aspetto il suo compimento: gli scavi sotto la Confessione me- « desima, almeno in quanto concernono la tomba dell'Apostolo (ricerche « alle quali Noi volgemmo l'animo fin dai primi mesi del Nostro Pon- « tificato), e il loro esame scientifico, sono stati, nel corso di questo « Anno giubilare, condotti felicemente a termine. Nel più breve tempo « una documentata pubblicazione porterà a conoscenza del pubblico il « risultato delle diligentissime esplorazioni.

« Questo risultato è stato di somma ricchezza e importanza. Ma la « questione essenziale è la seguente: E' stata veramente ritrovata la « tomba di S. Pietro? A tale domanda la conclusione finale dei lavori « e degli studi risponde con un chiarissimo: Sì. La tomba del Principe « degli Apostoli è stata ritrovata.

« Una seconda questione, subordinata alla prima, riguarda le re- « liquie del Santo. Sono state esse rinvenute? Al margine del sepolcro « furono trovati resti di ossa umane, dei quali però non è possibile di « provare con certezza che appartenessero alla spoglia mortale dell'Apo- « stolo. Ciò lascia tuttavia intatta la realtà storica della tomba. La gi-

« gantesca cupola s'inarca esattamente sul sepolcro del primo Vescovo « di Roma, del primo Papa; sepolcro di origine umilissimo, ma sul « quale la venerazione dei secoli posteriori con meravigliosa successione « di opere eresse il massimo tempio della Cristianità ».

S. Pontifex omnes, praesertim qui Romae interfuere pia peregrinatione, hortatur ut auxilium praestent clero in christiano apostolatu. Inter alia Ipse loquitur de impedimentis contra eundem apostolatum, de persecutione contra ecclesiam catholicam et violatione eiusdem iurium ex parte quorundam guberniorum, quae libertatem religionis et liberam communicationem fidelium cum S. Sede saepe coarctantur, de pace interna nationum, necessaria ad bonum ipsius societatis assequendum. Missio Ecclesiae catholicae est missio pacis et caritatis; proinde eiusdem maximum desiderium est pacem inter omnes populos tueri, auferre difficultates ad eandem facilius consequendam. Tamen, prout asserit S. Pontifex — summa iniuria! — «... da parti ben note Ci si « muove l'accusa di volere la guerra e di collaborare a tal fine con « Potenze imperialiste, che — si afferma — sperano più dalla forza « di micidiali strumenti bellici che dalla attuazione del diritto.

« Che altro possiamo Noi rispondere a così acerbo oltraggio se non: « Scrutate gli agitati 12 anni del Nostro Pontificato, indagate ogni pa- « rola sgorgata dalle Nostre labbra, ogni periodo uscito dalla Nostra « penna: voi non vi troverete che incitamenti alla pace.

« Rammentate specialmente il fatale mese di Agosto 1939, quando, « mentre più assillanti si facevano i timori di un sanguinoso conflitto « mondiale, dalle rive del lago di Albano elevammo la Nostra voce, « scongiurando nel nome di Dio Governanti e popoli di risolvere i loro « dissensi con comuni e leali intese. Nulla è perduto con la pace — « esclamammo —, tutto può essere perduto con la guerra! »

Proinde, cum media simpliciter naturalia non sint apta ad pacem consequendam, S. Pontifex hortatur omnes fideles ut eamdem publicis ac privatis precibus a Deo petant.

31 Decembris 1950 — *Nuntius radiophonicus fidelibus ob primum conventum Marialem in urbe SS.mae Conceptionis, quarto abhinc saeculo condita, e tota Cilena Republica coadunatis.* (A.A.S. - 26/2/1951 - vol. 43, p. 122-124).

25 Januarii 1951 — *Nuntius radiophonicus alumnis scholarum Catholicarum U.S.A. ad sollicitandam caritatem erga pueros indigentes aliarum nationum* (A.A.S. - 26/2/1951 - vol. 43, p. 125-126).

25 Februarii 1951 — *Nuntius radiophonicus christifidelibus datus, ob primum Conventum Eucharisticum e tota Natione* LITORIS AUREI, *in urbe* KUMASI *coadunatis* (A.A.S. - 31/3/ 1951 - vol. 43, n. 4, p. 170-172).

SACRUM CONSISTORIUM:

11 Decembris 1950 — *S. Consist. secretum habitum est feria secunda, die 11 Decembris 1950, ad deputandos Legatos a latere ad obstruendas Portas Sanctas.* (A.A.S. - 26/12/1950 - vol. 42; p. 864-868).

ALLOCUTIONES:

14 Octobris 1950 —*Allocutio iis habita, qui internationali conventui catechesi provehendae Romae interfuere.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 816-820).

Exposito momento conventus et laudibus exhibitis omnibus religiosae institutioni operam navantibus, S. P. de impedimentis loquitur et intrinsecis et extrinsecis, quae obsistunt catechesi provehendae.

Conventui proposita sunt maiora problemata ad catechesim spectantia, i. e. religiosa institutio omnibus aetatibus impertienda, loca ac sedes huic disciplinae accomodanda et praesidia, quae praesto sint iis qui docent. Inter alia asserit S. P.: «... religiosa institutio ad ea omnia « pertinere debet, quae Ecclesiae doctrinae sunt propria: ad dogma, « ad morum leges, ad divinum cultum. Liquido patet haec, quantumvis « ardua, nihilo secius proponi debere pro auditorum aevo, intellectu, « eruditione... Quoad modum christianae institutionis dandae, haud « dubie prodest in dicendo perspicuitas, prodest in enarrando evigilata « moderatio; devincit aures sermo, si fluit vividus, alacer, imaginandi « vi locuples, exemplis collustratus, gratis comparationibus exornatus. « Verum in hac ratione et via duo vitandi sunt scopuli: ex altera parte « cavendum est, ne per oblectandi et relaxandi animi causam laedatur « rebus sacris debita reverentia, pietas, intima persuasio, et haereat « cogitationi et memoriae allegoria vel narratiuncula, dum quae prae- « cipua sunt noxie in umbra relegentur; altera ex parte id fugiendum « est, ut materies, quae docetur, decernatur ad placitum, ad votum, « ad mutabile alumnorum iudicium et hodie, ut Isaiae prophetae tem- « pore, recantetur — Loquimini nobis placentia — ».

Ex dictis deducuntur quae ad magistrum spectent, qualem eum esse oporteat, qui officio tenetur proponere omnia praecipua fidei capita et eadem adaequare etiam obtusis ingeniis et imparatis mentibus eaque inflectens convenienter ad eorum necessitates. Praeterea maximi momenti est ut docens discat sine ulla intermissione, praeparans diligenter et argumentum et modum docendi, ita ut, experimentis sive faustis sive infaustis usus, omnia ad provehendam catechesis artem inserviant.

14 Novembris 1950 — *Allocutio ad* Ignatium Andrade, *porrigentem Romano Pontifici publicas litteras liberis cum mandatis Lusitanae Reipublicae.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 820-822).

23 Novembris 1950 — *Allocutio ad* Josephum Nosolini, *porrigentem Romano Pontifici publicas litteras liberis cum mandatis Lusitaniae Reipublicae.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 823-825).

6 Februarii 1951 — *Allocutio ad parochos Urbis et Concionatores sacri temporis quadragesimalis.* - Inter alia, S. Pontifex, memorato felici exitu Anni Sacri et gratias Deo agens ob innumeros fructus spirituales obtentos, hortatur parochos Urbis et Concionatores temporis quadragesimalis ut omnibus viribus incumbant institutioni et organizationi associationum Actionis Catholicae, ita ut laici cooperationem suam praestent sacerdotibus in animarum curae exer-

citio. Praeterea parochi et Concionatores prae oculis semper habere debent institutionem religiosam iuvenum et educationem formationemque vocationum ecclesiasticarum. (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 112-118).

19 Februarii 1951 — *Allocutio ad christifideles qui Romae convenerant ad Beatificationem Servi Dei* Alberici Crescitelli, *Martyris.* (*A.A.S.* - 31/3/1951 - vol. 43, n. 4, p. 165-168).

28 Februarii 1951 — *Allocutio ad* Carolum Sommaruga, *Reipublicae Liberiae Legatum extra ordinem liberis cum mandatis, Summo Pontifici litteras publicas porrigentem.* (*A.A.S.* 31/3/ 1951 - vol. 43, n. 4 p. 169-170).

ACTA SACRARUM CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS:

11 Julii 1950 — *De finium mutatione dioecesium Syracusanae et Ragusiensis et Netensis.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 828).

15 Septembris 1950 — *De finium mutatione dioecesium Drepanensis et Mazariensis.* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 888-889).

Decretum S. Congregationis Consistorialis finium mutatione providere cupit fidelium necnon dioecesis Drepanensis necessitatibus. Rationes sunt: « ex angusto et dispertito territorio, ex impari clericorum atque « sacerdotum numero, ex beneficiorum defectu ac rerum oeconomicarum « inopia dioecesis iis in regimine ac disciplina difficultatibus premitur « ut vel ipsa necessaria opera ac institutones curari, promoveri ac per« fici nequeant ».

6 Novembris 1950 — *Decretum erectionis Vicariatus Castrensis in Republica Brasiliana* (*A.A.S.* - 30/1/1951 - vol. 43; p. 91-93).

S. CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI:

28 Januarii 1951 — *Decretum de mutatione nominum trium Vicariatuum Apostolicorum in Aegypto exstantium.* (*A.A.S.* - 31/3/1951 - vol. 43, n. 4, p. 176.

S. CONGREGATIO CONCILII:

11 Novembris 1951 — Lucerina et Aliarum - Dubium de Missis pro Episcopo: « *Utrum, de Episcopi mandato, Capitulum diebus anniversariis electionis seu translationis et consecrationis eiusdem Episcopi teneatur tantum Missam solemnem celebrare, an etiam eam pro Episcopo applicare* ». *Respondetur: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* (*A.A.S.* - 31/3/1951 - vol. 43, n. 4, p. 177-178).

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE:

5 Maii 1950 — *De finium mutatione dioecesium Adelaiden-Portaugustan.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 831-832).

5 Maii 1950 — *De finium mutatione dioecesium Sydneyen-Barthursten.* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 889-890).

26 Maii 1950 — *De finium mutatione Vicariatuum de Doate-de Foumban - de Yaoundé.* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 890-891). Mutatio fit ut iidem sint fines ac limites regionum civilium.

9 Junii 1950 — *De finium mutatione Praefecturarum de Morondava-de Tsiroanomandidy* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 891). Causa mutationis: « fides catholica in insula Madagascar prolatanda ».

24 Junii 1950 — *De finium mutatione Vicariatuum Maswensis-De Mwanza.* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 892). Mutatio decernitur ut aptius evangelizationis operi consulatur.

11 Julii 1950 — *De finium mutatione Vicariatuum de Koango-de Ipamu.* (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 893-894). Causa: ut fines tum civilibus limitibus tum necessitatibus missionalis apostolatus respondeant.

20 Julii 1950 — JAPONEN - *Decretum quo Dioeceses, Vicariatus Apostolici et Praefecturae clero saeculari indigenae committuntur* « cum ar- « duum evaserit alienigenis Missionum Ordinariis ministerium « explere, ut satius ipsi ducerent se munere abdicare ». (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 894-895).

21 Octobris 1950 — *Decretum de mutatione nominis Ordinariatuum in India.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 127).

21 Decembris 1950 — *Decretum quo Vicariatus Apostolicus Laosiensis, deinceps* THAREENSIS *appellabitur.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 128).

S. CONGREGATIO RITUÛM:

3 Aprilis 1950 — ROMANA - *Decretum de commissione reassumptionis causae Canonizationis* B. ANTONII BALDINUCCI S. J. (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 895-896).

3 Septembris 1950 — ROMANA - *Decretum de Beatificatione et Canonizatione Servi Dei* PII PAPAE X (*A.A.S.* - 26/12/1950 - vol. 42; p. 896-899).

3 Septembris 1950 — ROMANA SEU DE HANCHUNGFU - *Decretum Beatificationis seu declarationis martyrii* ALBERICI CRESCITELLI, *Missionarii Apostolici.* (*A.A.S.* - 10/1/1951 - vol. 43; p. 45-46).

6 Novembris 1950 — MARIANOPOLITANA - *Decretum de Beatificatione Servae Dei* MARGARITAE BURGEOYS, *fundatricis Congregationis Sororum a Nostra Domina, an tuto procedi possit ad Beatificationem.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 834-835).

11 Februarii 1951 — ROMANA - *Beatificationis et Canonizationis* PII PAPAE X. (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 138-140).

11 Februarii 1951 — TUNQUINEN - *Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei* JOSEPHI MARIAE DIAZ SAJURIO O. P., *Episcopi et Vicarii Ap. Tunquini centr.*, MELCHIORIS GARCIA SAMPEDRO O. P., *Episcopi Tricomiensis, in eodem Vicariatu Successoris et* SOCIORUM *in odium fidei interemptorum.* (*A.A.S.* - 26/2/1951 - vol. 43, p. 140-142).

11 Februarii 1951 — CORISOPITEN - *Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei* JULIANI MAUNOIR, *sacerdotis professi S. J.* (*A.A.S.* - 31/3/1951 - vol. 43, n. 4, p. 178-180).

S. CONGR. DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS.

7 Martii 1950 — *Epistula ad Em.mos Cardinales, ad Exc.mos Archiepiscopos, Episcopos et Ordinarios Brasiliae de recta institutione clericorum rite provehenda.* (*A.A.S.* - 9/12/1950 - vol. 42; p. 836-844).

Memorata necessitate augendi numerum vocationum sacerdotalium, Sacrae Congregationis votum est ut in provehenda institutione clericorum magni momenti sit acquisitio scientiae, aptae ad temporum necessitates, sive antiquae sive modernae. Qua de re pertractanda sunt ad Divi Thomae rationem philosophiae traditionalis ac theologiae studia, prout ipse c. 1366, § 2 C. J. C. edocet. Evitandi sunt errores moderniores, praesertim error affirmans hominem originem habere a bruto. Adversus quos errores vero firmiter admittenda est creatio hominis atque origo omnium hominum ab unico capostipite, i. e. ab Ada et Eva, elevatio hominis ad statum supernaturalem, et deinde peccatum originale eiusdemque transmissio in omnes homines, una excepta B. M. V.

S. Congregatio monet ut vitentur quidam abusus quoad liturgiam Eucharisticam, qui sunt contra constantem probatamque traditionem Ecclesiae. Praeterea omnes tenentur repellere spiritum novitatum, errorem liberalismi (negantis Ecclesiae, ratione eiusdem nobilissimi finis et divinae missionis, quandam suprematiam quoad Statum), errorem laicismi (quo quidam conantur excludere Ecclesiam a vita publica et sociali).

Quibus in rebus Episcopi tenentur advigilare maxima cum sapientia et constantia in provehenda institutione clericorum in philosophia traditionali, iuxta principia S. Thomae.

Una simul cum scientia quam maxime aestimanda est institutio clericorum in virtutibus christianis, praesertim activis. Hac in re officium est Superiorum omnium et Directorum Spiritualium, qui ad hunc finem tenentur fovere in clericis devotionem erga SS.mam Virginem, S. Joseph et SS. Patronos iuventutis ecclesiasticae.

Direttore Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 / 1950